













427 **Marinelli (Curtio)**, *Venetiis*. Pharmacop[...] vera Pharmaca conficiendi, & præparandi [...] Medicorum Venetorum collegio comprobat[...] 8vo, chiefly Rom. type, (16) ll., 599 pp., (16[...] *device on title-page*, some ll. wormed, cont[...] £1 10s *For Clem. Schleich*,

DEDICATED to Venetian College of Physicians. [...] Manget. This author is not mentioned by Pr[...] his *Bibl. Chem.* The Br. Mus. has the origi[...] 1617. (H. 2924.)

p
c
m
b
3
e
p
U
t

Voynich

18/10/3

Ex dono Jo: Dobrowski

PHARMACOPÆA,

SIVE

De vera Pharmaca conficiendi, & præparandi Methodo,

A PRÆSTANTISS. ET EXCELLmo MEDICORVM VENETORVM COLLEGIO COMPROBATA,

Libri duo,

CVRTIO MARINELLO *Veneto, Medico, atq; Philosopho, ex hoc Collegio vno, Auctore.*

Quæ Methodus à placitis non solùm priscorum Medicorum, qui in Græcia floruerunt, & præcipuè Galeni huius artis peritissimi deprompta fuit:

Sed etiam à mandatis illorum, qui Arabiam decorarunt, & maximè Mesue, qui hac in arte nemini fuit secundus:


A quorum præceptis adapertissimè erit notum legentibus omnia, quæ ad hoc vsque tempus, aut Medici, aut Pharmacopæi literis prodiderunt, ab ipsis didicisse.

M. DC.  XVII.

HANOVIÆ

Impensis Clementis Schleich Bibliopolæ Francofurtensis.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



SERENISS.
PRINCIPI
EXCELSO
VENETORVM
SENATVI

Collegium Physicorum Venetiarum

D. D. D.

NIHIL est in Ciuitatibus bona populorum valetudine optabilius, non ad eorum tantum qui reguntur, sed qui regunt etiam felicitatem necessaria; hanc restituit, & retinet medicina, medicinam pharmaca rite parata in primis commẽdant: quo fit, vt hinc potissimum artis præclarissimæ ratio pendeat, ex ipsa arte vrbium salus & incolumitas. Norunt id veteres medicinæ

proceres, qui multi & assidui i
hac de Antidotis tractatione fue
runt: nouit & sapientia tua, quan
nihil latet, Serenis. Princeps, cu
cum vita ciuium maxime in voti
sit, magnificentissimo olim Sena
tus Consulto, hanc ordini nostro
prouinciam imposuit, vt Antidota
ritum ad vsum publicum conscri-
beremus, ederemusque. Nihil pro
singulari Senatus ptudẽtia vtilius,
nihil pro benignitate moderatius.
Nos contra aliquando opus absol-
uimus, non negligentia, aut insci-
tia; sed fatali quodam, nec minus
assueto summis eximiisque cona-
tibus malo. qui enim fauere nobis,
obsequi voluntati nostræ debebãt,
ii potissimùm aduersari, obsistere,
semper contra niti, nihil magis in-
uisum habere, quã quod nos rite,
& ex arte factum, vsu & doctorum
testimonio comprobatum. Sed vi-
cit tandem ignorantiam recti, &
inui-

inuidiam ipſa vis veritatis: perfecimus opus, non minus vtile, ſed, quod dictum ſine vlla eruditionis iactatione volumus, à nullo antehac conſimili methodo perſtrictũ. Omnia in illo ad antiquorum mẽtem (hi enim aut ſoli, aut maxime ſapere viſi ſunt.) Omnia non perfunctorie, nec per ambages, at ſtrictim, & ſerio vt potuimus. Omnia denique non ad oſtentationem doctrinæ, ſed ad ſtudium veritatis. Porrò is, cui onus à nobis iniunctum eſt Curtius Marinellus vir inter noſtros acer, & doctus, in opere exarando commodi publici ratione iuditio ſe ſibi præpolluiſſe fatetur; nos in eodem perpendẽdo, imperio Senatus, nobiliſſimorum ciuiũ incolumitate, feliciſſimi populi ſalute acutiores redditi, & cautiores. Hos igitur de componendis Antidotis libros P. Ser. P. C. qua decet humilitate vobis

donamus, dedicamus, rogamusq; enixe, vt inter graues Reip. curas suus illis quoque ſit locus: ſcilicet vt non contempti à Seplaſiariis, ſed quam diligentiſſime obſeruati, opus potius veſtrum, quam labor noſter cenſeantur. Neq. enim fortaſſe immerito hic illis honos debebitur, quib. ſecundũ Deum, ciuium vita, & valetudo magna ex parte referenda erit accepta. Interim nos, dum induſtriæ qualiſcũq. noſtræ monumenta publice omnes reponimus, ſtudium operamque ſimul pro Vrbis præclariſſimæ ſalute priuatim ſinguli deuouemus. Faueat celſitudo tua S. P. labori noſtro, & addictiſſimum ordinem nulli fide, & obſeruantia ſecundum volens, lubensq. foueat.

Opus

Opus istud cui titulus est , De vera Pharmaca conficiendi, & præparandi ratione, *fuit reuisum*, *&* *nihil Sacrosanctæ Fidei Catholicæ contrarium (quod deprehendimus) continet. quare typis dignum esse censeo.*

Dat. Venetiis die 4. Febr. 1616.

Ita est, Fr. Iacobus Regulus Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Lector, & Commissarius Gener. S. Inquisit. Venet.

Autores à quorum placitis desumpta fuere huius artis præcepta.

Abymeron Abyn Zoar.
Aetius.
Albucasis, vel Bucasis,
Andromachus.
Aristoteles lib. de Plantis, & alijs in libris.
Archigenes.
Asclepiades.
Aueroes.
Auicennas.
Cornelius Celsus.
Crito.
Damocrates.
Dioscorides.
Galenus.
Haly Abbas.
Heraclides Tarentinus.
Hippocrates.
Mesue.
Oribasius.
Paulus Ægineta.
Rabi Moises.
Rhasis in cõtinenti.
Ruffus.
Theophrastus de causis Plantarũ, & de Historia Animãtium seu Plantarum.

CVR-

CVRTII MARINELLI AD LECTORES

VERITATIS COGNOSCENDÆ CVPIDOS,

De Occasione hunc scribendi Librum, & de eius Diuisione, & Ordine

Præfatio.



MNES Seniores Medici, & potissimùm illi, qui Græciã exornarũt, nõ solùm totum suum studiũ, totamque suam diligentiam in præsidiis adinueniendis ad Morbos debellandos collocarunt, (vt adapertè à me demonstratum esse existimo in libro illo, qui inscribitur

tur de Morbis nobiliores Animæ facultates obsidentibus) sed etiam, quod est Medici proprium munus, quocumque neglecto labore, animo sollicito, atque anxio legitimam rationem Pharmaca conficiendi, & parandi explorarunt, & vestigarunt, quam & posteritati litteris prodiderunt: in cuius perfectam ego deueni cognitionem; cũ anno iam elapso quædam mihi occasio oblata fuerit non paucos legendi libros, & volumina, quæ de modo Medicamenta præparandi tractãt. In quibus cũ adinuenerim innumeros Medicos, & Pharmacopæos multa circa hãc artem sibi arrogasse, quæ tamen ab Antiquis, quib. in hac omnia debemus, adinuenta, & summo ordine instituta fuere, decreui cupiditate illa accensus, qua iam inde ab vltimæ meæ adolescentiæ annis exarsi, de

vera

vera Methodo Pharmaca componendi, & parandi ſatis longam orationem ad eorum mentem ſuſcipere, ne nomen, & fama tantorum Virorum, quod quidem impium, & iniquum eſſet, ab hominum recentiorum voluntate deprimatur, & deleatur. Nec præterea grauatus ſum hoc ſubire onus, vt non pauci Seplaſiarii cæca ignorantia detenti manifeſtò cognoſcant omnia illa, quæ hanc artem complent, atq; perficiunt à Medicis tam Græcis, quàm Arabibus, & maximè à Galeno profusè, ac diligenter narrata extitiſſe, hac tamen lege, vt in futurum audaciam illam demẽtiſſimã deponant, & linguam illam effrenem, & petulantem retardent, & compeſcant; Hi enim ſæpe, atque ſæpe ore tamen indigno audent affirmare Galenum huius artis imperitiſſimum fuiſſe; immo & Meſue, cuius veſtigia ſequi omnino profitentur,

tentur, Confectiones, & mandata castigare, & corrigere sibi persuadent. Non ignoro tamen aliquos Pharmacopæos adinueniri ingenuos, studiosos, & Scriptorum præcepta, & Medicorum placita exsequentes, qui propriam conditionem, & statum, vt debent, peroptimè cognoscunt: hi omni laude digni nõ solùm à me, sed ab omnibus procul dubio reputantur, & mirum in modum probantur.

Inter Græcos, qui fundamenta huius artis iecerunt, si de his, qui ante Galenũ Medicinam fecerunt, sermonem habeo, à me enumerantur Andromachus, Damocrates, Crito, Asclepiades, Archigenes, Hippocrates, Ruffus, Theophrastus, & Dioscorides: si de illis, qui post ipsam artem Medicam exercuerunt, Paulus, Aetius, & Actuarius. Inter Arabes primũ locũ me iudice tenent Auicẽ. Rhasis, Haly,

Albucasis, siue Buccasis, Abynzoar, & Mesue, qui in præceptis instituendis præcipuè circa quædam Medicaméta ab Araba familia adinuēta, primus à me censetur, si veritas ingenuè proferēda venit: quibus accedit Cornelius Celsus natione Latinus. Sed antequam ad modum Pharmaca præparandi descēdam, dilucidè omnibus demōstrabo, hanc artem ad Medicum, & non ad Pharmacopolam attinere.

Secatur totum hoc opus in duos libros. In primo quorū de delectu Simpliciū generatim erit à me tractandum, necnō etiā de Decoctione, & Trituratione, quæ sunt duo maximè necessaria, quibus Simplicia exquisitè permiscentur, & in vnum coguntur, sicuti etiam silētio non sunt relinquenda Infusio, Maceratio, Nutritio, Ablutio, Adustio & Combustio; quoniam his aliqua apta, & accommodata redduntur ut

aut

aut ſolitariè deſumpta, aut aliis cō-miſta ad morbidos ſuperandos affectus.

In ſecundo de Methodo cōponendi, & parandi Pharmaca ſpeciatim, & particulatim agendum erit: & eodem tempore de nonnullis Simplicibus eligendis, & caſtigandis, ne aliquam noxam infirmis corporibus incutiant. Priùs tamen notum faciemus vobis, vt iam diximus, hanc artem ad Medicos pertinere.

Medicamenta, ſeu Antidota ex variis Simplicibus compoſita neceſſaria eſſe probatur, quorum parandi modus non ad Pharmacopæum, ſed ad Medicum pertinet.

Tanta fuit venerandæ Antiquitatis cupiditas in depellendis noxis, quæ corpus humanum fatigant, & exercent, vt non contenta ſim-

ſimplicibus Medicamentis, maximo ſtudio, & labore multiformia compoſita pro morborum varietate, & conditione ægrotantium excogitauerit; valde enim difficile exiſtit aliquod adinuenire ſimplex Medicamentum calidum, vel frigidum, quod omnino determinatæ alicui frigiditati aduerſetur, atque repugnet. Quod peroptimè docuit nos Gal. lib. 1. de Comp. Medic. per genera, cap. 3. his verbis: *Sæpè cum corpus calefacere volumus aliquatenus, ſimplex nullum, quod præſtare id queat, habemus, Medicamentũ enim curans affectioni, cui adhibetur, proportione nimirum reſpondere oportet. Ergo ſi diſpoſitio ſit frigida, quattuor numeris à caliditate recedens, curaturũ ipſam Pharmacum totidem gradibus, mediocri, ſymmetroue calidius eſſe oportere omnibus eſt manifeſtum. Porro cum interim tale ſimplex nullum adſit, ſi duo habeamus, quorum hoc numeris quinq; illud*

Medicamentorum Simplicium miſtionis varia cauſa.

Prima.

illud trib. calidius sit, ea si miscuerimus, medium efficiemus, quattuor numeris symmetrō exuperans. At nō solùm ab hoc impulsi Veteres fuerunt, sed etiam à multis aliis causis. Non rarò enim ob affectuū inter se pugnātiū ablationem multorum fit mistio, & vnio; nam contraria auxilia desiderant, vt Repellendi, & Digerēdi, vel Leniendi, & Adstringendi, quibus Galenus generibus Medicamenti vtitur, immo & nō rarò adstringentibus incidentia admiscet: & hanc præcipuam esse causam mistionis decreuit Serap. lib. de Antid. cap. 2. Interdum ob necessitatem alicuius, quod sit tamquam vehiculum aliorum facultatem deferens: sicuti quando his, quæ renes refrigerare possunt, diuretica adhibemus, Galeni præceptum, quod decreuerunt Auic. lib. 5. Haly, & alii multi. Aliquando teste ipso Galenō, vt lib. 1.

Secunda.

Tertia.

per gen.c.3.imperante tamen Hippocrate. *Ob virium alicuius vehemẽtiæ obtundendæ gratiã, vel insuauitatis mitigandæ, qui veratro Daucum, vel Seseli, vel Cuminum, vel Anisum, vel aliud odoriferum admiscuit; demonstratum .n. insuauitatem in potu, moramq; in ventriculo condimentum requirere.* Præterea multis in locis reliquit scriptum, Mel ingrata gustui efficere quoquo modo minus molesta. Interdum multa aliis addunt Scriptores, vt Robur partib. imbecillis præbeant; student .n. interdum & alterare, & roborare, vel euacuare, & roborare. Addit iam dictis Auic. vnionem multorum etiam adinuentam fuisse, vt celerius, aut tardius quædam Simplicia suas operationes in apertum edant; Manna enim cum Rhabarbaro desumpta est in causa, vt Rhabarbarum citius agat, Myrobalani autem eius operationẽ retardant: sic & Agaricus Sali, aut Zingiberi, vel

Quarta; *Quinta;* *Sexta.* *Septima;*

Oxymeliti commiſtus, citius ad proprium munus inſurgit: retar-dant in Arteriacis Tragacanthum & Gummi, vt ſub lingua detentæ ſenſim liqueſcant, & in ſummam

Octaua. arteriam labantur. Quandoq; m[...]torum fit vnio, vt quædam horum corrigant, atq; caſtigent impetum & vehemẽtiam purgantium effi-

Nona. nium. Eſt etiam in cauſa, vt mi[...]ta in vnum confundantur narra[n]te Serapione, aptitudo admoue[n]di Medicamenta, & vtendi illis; [...] Metallica quædam, aut Plantarum partes aliquæ læuigatæ minimi[s] partibus adhærere poſſunt, niſi al[i]quem lentorem ſocium habean[t]. Has oẽs cauſas diligentiſſime rec[en]ſuit Auer. li. 5. Collig. c. 57. quæ cõ[n]citarunt, & impulerunt grauiore[s] Medicos ad Pharmaca ex mult[is] cõficienda, ſemper tamen propo[r]tione quadam inter miſcibilia ſer[]uata, vt ab ipſa reſultaret, & emer[]geret eſſentia aliqua, atq; natura te[]

ſte Gal[]

ſte Gal. li. de Ther. ad Piſonem c. 10. variis exornata facultatibus diuerſis à ſingulis cõponẽtibus, à qua non raro admirandæ ſcaturiunt operationes; Hanc naturã formam totius Medicamenti Recentiores appellant; etiamſi fere ſemper initium omnium operationum præcipue ab aliquo Simplici, quod Baſim dicunt, trahat, atq; ducat. Raro hæc omnia aliqua in Antidoto adinueniuntur, niſi dicamus in Electario Roſato à Meſue deſcripto, quod forte inter purgantia Pharmaca primum locum tenet, reperiri horũm majorem partem. Euariat, & inalterat potiſſimũ proportionem illam, à qua forma totius emergit, parandi, & cõponendi modus, qui maxime in Trituratione, & Decoctione conſiſtit. Non negarẽ tamen maximi etiã eſſe momenti & Ablutionem, & Aduſtionem, & Macerationem, & Nutritionẽ in aptandis quibuſdam Sim-
 plicibus

plicibus, antequã aliis admiſceantur. Attamen Attritus, & Decoctio ſunt duo maxime neceſſaria ad vnionem Simplicium; per hęc enim integrantium Pharmacum omnes minimæ partes ſeſe tangunt, & eorum vires ſibi mutuo impartiũt, & cõmunicãt; in quib. agendis ſi à Seplaſiario aliquod erratum cõmittatur, aut circa ordinẽ, aut modum Decoquendi, & Triturandi, ſymmetria illa qualitatum integra non ſeruatur: immo manca, & imperfecta euadit. At facillime poteſt Pharmacopola in grauiſſimos errores labi; cum ignoret Simplicium naturam, & eſſentiam: debet enim ſicuti ſcribitur 2. de cõp. Med. per loca c. 1. & 2. *Qui ſtudet Pharmaca componere, prius per diligenter veſtigare Simpliciũ Qualitates, naturam, & Subſtantiam.* Cuius autem eſt hæc cognoſcere? forte Seplaſiarii? hoc ridiculum eſſe nemini obſcurum arbitror. Erit igitur Medici perſpicere,

cere, & intueri Naturã, Substantiã, & Qualitates Simplicium, & maxime illorum, in quibus qualitates inter se pugnantes reperiuntur: de quib. sermonem habuit Gal. li. 1 de alimen. facult. c. 1. sic: *Nonnulla inueniuntur, quæ facultatem & substantiam habent contrariam, etiamsi sensui simplicia appareant; etenim nõ Lens sola cocta, sed etiam & Brassica compositam ex pugnantib. facultatib. naturam sunt sortita; nam solidum aluum sistit, humor stimulat ad excretionem; vnde bis cocta aluum sistit Braßica commesta.* Hanc qualitatum cõditionem seruant & Myrobalani, quæ si parùm coquantur, aluum subducunt, at si diu, potiùs ipsam sistũt acerba qualitate dominante, vt nobis reliquit scriptum Mesue, absumpta illa, quę in substãtia eius tenuiori, & extima parte residebat. Si igitur Medicus perfectè cognoscit Naturam, Substantiã, & Qualitates Simplicium: erit profectò eius munus decerne-

re&instituere species Decoctionis, modum Decoquẽdi,&eius Terminũ, & prӕterea Attritus, vel Triturationis varia genera: Ne longa, aut vehemẽti ebullitione aliquorũ vires aboleantur, aut imbecillӕ,&lãguentes eueniãt, aut in contrariam qualitatẽ degenerent, aut effrenes fiant: Vel ne debili,&ignaua decoctione vires Simplicium foras nõ euocentur, aut tenella, si occasio postulabit, illa nõ fiant:& ideo Mes. in Cã. reliquit scriptum: *Omnia Simplicia coctionẽ nõ sustinere ӕqualẽ, quӕdã enim valentem, quӕdã mediam,& quӕdam debilem, sicut nec Attritionẽ.* Quę euenire eodem loco patefacit ob substãtiӕ varietatẽ Simplicium, & eorum qualitatesq;: Virtus enim facilè resoluitur, vel quia imbecilla est, vel quia in superficie est posita, vel quia in subiecto raro, ipso docente; sicuti ӕgre dissipatur, si vigorosa, si in alto corporis posita sit,&si in subiecto denso, vel viscido existat: sicuti

ci etiã inueniuntur aliqua ſubſtãtia terrea donata, quę quãtò magis decoquuntur, & vehemẽti calore, aut celeri motu, & diu teruntur, eò magis eorum facultas excitatur, & in actũ erumpit: ſin minus ignaua, & debilis manens parum auxilii præbet ægrotantibus; ab imbecillo enim calore, aut motu facultas illa ſubſtantia terreſtri reſidens foras nõ euocatur. Vt igitur omnes qualitates Simplicium ſecundùm illum gradum, & proportionem ab inuentore Medicamenti optatam in ipſo adinueniantur, modum varia illa Simplicia vniendi, ſiue hoc fiat Decoctione, ſiue Trituratione Medicus Pharmacopæis imperet, atque præſcribat; ne vires aliquorum detrimentum patiantur; & maximè cum in vnum triturata, & creta vniuntur; & ne ordine interturbato forma totius contaminetur, & peruertatur.

Eſt autem Pharmacopolæ pro-

prium munus omnia perfectè cognoſcere Simplicia, è quibus vigoroſa, & incontaminata ſeligere debet; ne ab vno tantùm imperfecto tota compoſitio, vt conſonum eſt rationi, vitietur; ſicuti nos docuit Galen. in lib. de Theriaca ad Piſonem, & 1. de Antidotis. Præterea diligenti manu munditia exornatus, quotieſcumque occaſio illi data fuerit, procuret Mundare, Detergere, Comburere, Adurere, Abluere, Infundere, Nutrire, igni cõuenienti, & aqua Decoquere: ſpumam auferre, per colum liquores, & decocta Transfundere, vt depurata fiant, Terere, Læuigare, Trita cribro traiicere, & in vnum varia Confundere, & accuratè Componere, quæ omnia Vaſis accommodatis agere debet atq; ſeruare. Non audeat Medicamentorum Deſcriptiones à Medicis inſtitutas caſtigare, corrigere, aut alterare, vt ille, qui ignorat varios fines ab ipſis

mente

mentæ conceptos: Meſue enim affirmat Myrobalanos debilem ferre coctionem, & paucã capite de Myrobalânis: attamen variis in locis imperat ebulliendas eſſe per longum tempus: debet fortè fortuna Pharmacopæus ab inſtituto tali Præceptoris deſiſtere? & Myrobalanos macerare, & debiliter ebullire? minimè; ſed ad vnguem, vt dicitur, eius exequi mandata: Parùm enim iubet ebulliendas, cum optat alui purgationem; at multùm ſi potiùs ſiſtere, & roborare, quàm ipſam mouere. Erunt igitur iam dicta opera, & partes optimi, & diligentis Pharmacopolæ: Sicuti enim non eſt Frena facientis celeres, atque magnanimos gubernare equos teſte Ariſtot. lib. 1. Ethic. cap. 1. ſed benè eſt illius, qui artem equitãdi docet, cuius etiam eſt opus varia frenorum genera pro diuerſitate equorum inſtituere, vt ille, qui eorum

rum multiplices defectus, & naturas cognoſcit: Frena autem facientis eſt onus ferrum tali figura, magnitudine, & pondere aptare, & efficere, qualis inſtituta fuit ab Equiſone; hic enim, vt dominus, imperat, & ille, vt ſeruus obtemperat, & obedit. Sic Pharmacopæi eſt opus d coquere, & terere, ſed illis conditionibus, quæ à Medicis imperantur, & inſtituuntur: quæ omnia reſpicientes Seniores Medici non ſolum Pharmacorum deſcriptiones ante oculos illorum poſuerũt; ſed etiam modum ea parandi perfectiſſime illis reliquerunt, inter quos Meſue refulſit, qui præcepta præparandi, & componendi Medicamina ita adaperte litteris mãdauit, vt nullus remanſit Recentioribus dicendi locus; vt Pharmacopæis cognitum, & perſpectum eſſet hæc omnia ad Medicos imperantes attinere: attamen nonnullorum ita increuit arrogantia, &

inualuit; vt non tantum artem medicamenta parandi ſib attribuant; ſed vt etiam medeantur infirmis grauibus vexatis paſſionibus: & pro firmo, & rato habeant doctiori, & meliori modo accommodatis auxiliis vti, quam medici admodum verſati; quod quantum ſit à ratione alienum à vobis Lectoribus conſideretur, & judicetur; à me enim non eſt tempus conuiciis, & juſtis reprehenſionibus conterendum.



MULTA ERRATA ENVMERANTVR,

QUÆ A NON PAUCIS SEPLASIARIIS IN DIES committuntur.

Circa Autorum contemptum.	Erratum Vnum	
in Præfat.		
Circa tempus Simplicia colligendi.		*pag.* 6.
Circa Radices.	Duo.	10.
Circa Herbas.		12
Circa Flores.		15
Circa Semina.	Varia.	16
Circa Vuam passam.		22
Circa Succos eliciendos, & coquendos, & densandos,	Quattuor.	24. 27.
Circa Mucagines.		27
Circa Pinguedines.		57
Circa Ablutionem.	Quattuor.	47
Circa Canthariades.		60
Circa Serum.	Tria.	58
Circa Decocta.	Tria.	65. 80
Circa Mannam non coquendam.		82
Circa Coctionem in diplomate, seu duplici vase.	Varia.	84
Circa Triturationem Purgantium, & aliorum.		93. 95.
Circa Ablutionem.		105. 106

Circa

Circa

Circa

de

Quæ numero extant ſaltem CLXVIII. id eſt 168.

DE



DE VERA PHARMACA CONFICIENDI, ET PARANDI METHODO,

Liber primus,

IN QVO AGITVR DE SIMPLICIŨ delectu, generatim tamen, de aliquorum eorum præparatione, & de vniuersali via Pharmaca parandi.

PROPONVNTVR HOC IN Capite omnia Simplicia generatim, quæ apud Pharmacopœos seruari à Medicis exoptãtur.

Cap. I.



RTIS Medicæ pars illa, quæ Pharmaceutica vocatur, pro vsu sibi vsurpat, & sub se continet ferè omnia illa, quæ totum Orbem cõplent, videlicet Plantas, Animalia, Metalla, Lapides, Terræ species,

Aquas,& denique etiam illa, quæ tenellis pedibus humida Amphitrite premit, vt ſunt candidæ Margaritæ, rubea Corallia: canoræ Buccinæ, & Purpuræ Regales: cognouit hanc veritatem Galenus lib. 6. de Simpl. facult. c. 1. dicens: *Ceterum quoniam Medicamenta omnia partim ſunt Animalium partes, aut Plantarum, partim verò ex Metallis deſumuntur, melius mihi viſum eſt de Plantis ante omnia differere, tum quòd numeroſiſſimum eſt earum genus; tum quòd virium robore præcellentiſſimum: inde de Metallicis tractare: atq; hinc ad Animalium partes tranſire.* Hunc ordinem à tanto viro propoſitum in his enarrandis, etiam ego ſeruare decreui; & ideo primo de Plantis, nec non etiam de illis ſuccis, qui circa ramos earum concreſcũt, aut ab ipſis emanant, tales extant gummi, atque lacrymæ: ſicuti etiam non erit inconſonum rationi, modum in medium afferre, quo ſucci ab herbis, & fructibus exprimantur, & ſeruentur.

De Plantarũ delectu generatim, & earum partium enumeratione
Cap. II.

INter Plantas Vniuerſum exornantes illæ excellentiores, & præſtantiores in

Vnaquaque ſpecie cenſentur ab Ariſtote-
le lib. 2. de Plant. c. 1. *quæ ſemine perfecto,
loco conuenienti, aqua moderata, & aere cō-
ſimili producuntur: quæ ſi deficiant, imbecil-
liores euadunt.* Aerem, & locum maxi-
mam impartiri vim Plantis, adapertè nar-
rauit Theophraſtus lib. 2. de cauſ. Plant. c.
9. his verbis: *Loca ſibi accommoda arbores
quæritant; quippe aliæ ſitientes, adamant tra-
ctus humidos; aliæ hibernos cupiunt; aliæ So-
li expoſitos; aliæ opacis; & aliæ apertis gau-
dent; aliæ in totum paluſtribus; aliæ montuo-
ſis lætantur.* De his etiam verba fecit Meſ.
in Canon. ad quædem ſingularia deſcen-
dens ſic: *Locus autem natalis, quia medi-
camentis ſimplicibus multis non modò prom-
ptam generationem, & felicem præſtat, ſed
& propriam quamdam virtutem impertit,
n medicamentorum delectu, maximi fa-
iendus eſt; natura enim, vt Plato, locis qui-
uſdam aliquas virtutes proprias imperti-
it, quæ rebus in talibus genitis, & creſcenti-
us communes faciat.* & ſubdit: *Plantæ hu-
ido excrementitio præditæ natura, in locis
umidioribus deteriores, ſiccioribus verò
æſtantiores euadunt; ſicciores contrà in lo-
s ſiccioribus peiores, meliores in humidio-
bus, ſic Agaricus, Hermodactylus, Turpe-
um in humidioribus damnantur, & Thi-*

melea, Cucumer agrestis, Colocynthis in siccioribus, & calidioribus mala sunt, & venenosa: Absinthium marinum maleficum, & Scãmonium ex regione Scenitarum: quæ enim immoderatiùs calida sunt, in locis calidioribus peiores euadunt, in frigidis ad portionem. Ad hæc terra, & per hãc plantis virtutem magnam impertit, & variam, non Sol tantùm, sed aliorum quoque corporum cælestium aspectus hunc locum, & illum aliter, atque aliter efficiens. Præterea, & plantæ nonnullæ ex alterius cuiusdam vicinia, vel contactu meliores, aut peiores fiunt. Sic Hermodactylis Scilla, aut Raphanus vicina vigorẽ addit, & Thymus Epithymo, & Quercus Polypodio, & Senæ Ruta: contrà autem maligniora euadunt Scammonia Esulæ, aut Tithymallis propinqua, Polypodium lapidibus, & Epithymum Ozimo. Hæc ille. Circa igitur electionem Simplicium semper est considerandus locus, quo genita sunt, quod etiam nos docuit Gal. variis in libris, sed potissimùm lib. 1. de Antid. cap. 13. dicens: *Omnes igitur Herbarij vnanimes scripserunt, Iridem in Illyrio natam optimam esse, Petroselinum, quod in Macedonia, Opobalsamũ in Iudæa, Radicis dulcis succus, agrestis Napi semen, & Scordium è Creta; quamquam in alijs Regionibus mi-*

nim

nimè contemnendum; *eodem modo & in reliquis, quorum dotes è Regionibus acceptas, cum primùm de vnoquoque loquemur, non omittemus.* Magni fecit quoque locorum naturam Dioscorides, lib. 1. de Medicinali materia: *Nam quæ in campestribus, riguis, & opacis, ceterisque locis à vento silentibus enascuntur, plerumque degenerant, & minus viribus valent.* Sed non satis est indagare loca, quibus plantę producuntur: sed operæpretium erit summo cum studio Pharmacopæos scrutari, & considerare cuiuscumque sapores, odores, colores, substantiam, magnitudinem, & figuram, quæ omnia doctissimè, & diligentissimè reliquit scripta Dioscor. vt meliores, & excellentiores eligere possint; quæ etiam animaduertit Rabbi Moyses Par. 21. sic: *Melior medicina cuiuscumque generis est illa, quæ non est contracta, neque tenuis sicut peior existit illa, quæ crassior, & tenuior quantitate temperata; & omnis medicina, quæ habet saporem, & odorem sui generis, melior.* Quæ omnia didicit à Galeno lib. 1. de Ant. cap. 3. & 13. *Sunt omnes plantæ, si vetustæ fuerint, fugiendæ; vnumquodque autem proprium vigorem ijs, qui ea sæpe viderunt, indicat, tum ex odore, tum gustu, aliquando ex colore, & secundum crassitiem.*

Hæc lib. 1. de Comp. Medic. per loc. c. 2. Sed potiſſimum hæc ſeruanda veniunt in peregrinis plantis, quæ ab Indis, aut Syris ad nos deferuntur. *At circa illas, quæ apud nos naſcuntur, in primis curam impendere oportet, narrante Dioſcor. lib. 1. in limine, vt ſuis temporibus ſingula demetantur, & recondantur; intempeſtiuè enim decerpta cōdita ve, aut nullo, aut euanido munere funguntur; ſerena enim cæli conſtitutione demetenda ſunt: magni ſiquidem refert inter colligendum, ſi vel ſqualores, vel imbres infeſti ſunt.* Ab his enim omnibus vires Simplicium aut abolentur, aut ignauæ redduntur, quamobrem proportio illa immutatur, quæ in compoſitis à Medicis deſideratur. At quis Seplaſiariorum hæc ſeruat? aut nullus, aut admodum pauci.

Neglĩgẽtia Seplaſiariorum.

Plantarum partes variæ, & multiformes exiſtunt, illas animalium ſimilitudine quadam æmulantes, quas ob oculos nobis ponit Theophraſt. li. de Hiſt. anim. c. 2. his verbis: *Partes primæ, communesq; plurimarũ, Radix, Caulis, Ramus, Surculus, hæ conſtant ex alijs, quæ Cortex, Lignum, & Matrix, vbi ſcilicet eſſe poſſunt: quæ quidem particulis conſtant ſimilibus, hæ Neruus, Vena, & Caro, ſimilitudine enim quadam nomina partium conſortiuntur.*

Quæ-

Quædam autem, quasi annuæ partes accedũt, vt Fructus, Folium, Flos, & Pediculus, id ẽst, quo folium dependet, vbi videlicet esse potest: super omnia autem Semen, & Fructus. Quædam succum habent, sicut Arist. de plant. cap. 2. & Theoph. c. 3. vt Resina, Gummi, Myrrha, Thus, & Thymiama. Non est autem à nobis de his omnibus agendum, sed solùm de Radicibus, Floribus, Foliis, Fructibus, & Ligno. at vnà cum foliis cõfundere liceat nobis & herbas; etiam si & floribus, & seminibus, & foliis sint insignitæ tempore oportuno. Non ignorat enim Theoph. cap. 5. *Herbas appellari illud, quòd à radice foliatum sine caudice prouenit, semenq; caule fert, vt Olera.* Nec silentio prætermittendi liquores, qui circa stipitem, & ramos concrescunt, aut ab ipsis, vt guttulæ emanantes stillant: sicuti etiam narrando aggrediendus est modus, quo succi à foliis, & ab herbis eliciantur, & seruentur; quoniam hi in Pharmaceutica arte magnam partem tenent.

De Radicib. eligendis, & seruandis Cap. III.

RAdix inter omnes partes, quæ totam plantam constituunt, præcipua esse

ab Ariſtot.lib.de Plant.cap.2.exiſtimatur cum ſit vitæ primordium, & alimentum à terra capillamētis ſuctū omnibus ceteris partibus communicet, quod reſpiciens Theophr. cap. 2. pronunciauit, illas animalium ori proportione quadam reſpondere. Tempus colligendi has reliquit ſcriptum Dioſcor.l.1.in limine, ſic: *Radices, liquamenta, corticesve, vt recondantur, eximere conuenit, cū herbæ ſuis folijs exuuntur.* Hoc autem vt plurimū euenit in Autumno incipiente Hieme: tali enim anni tempore multæ plantarum radices magnas habēt vires, teſte Gal. lib. 2. de Alim. fac.c.61.ineunte autem Vere, cum ſemen producere intendunt, caulem proferunt, & luxuriari incipiunt, euadunt inſuauiores, & flaccidiores, etiam ſi germinis cuſpidem à ſe adhuc non emittant, quod & experientia quotidiana demonſtrat; exemplo ſunt nobis Allia, Cæpæ, Napi, & Rapæ, quæ omnia, dum Vernum imminet tempus, iniucunda deguſtantur: at multæ radices exiſtunt, quæ hieme aduenientε, dulciores euadunt, vel præſtantiores, calore toto prius in foliis expanſo, ad intima contracto. Sed tempus omnibus accommodatum, & oportunum eſt, cum foliis radices priuantur: aliquæ enim plātæ,

tæ, narrante Dioſcor. hieme florent, & folia pariunt. & cap. de Helenio, demonſtrat eius radices fodiendas eſſe æſtate. Omnes itaq; radices euellantur, cum folia cadunt; tunc enim tota facultas ad interna ſe transfert, & folia humiditate propria, & calore priuata decidunt. Sunt ſilueſtres vigoroſiores, & inter iſtas illæ, quæ ſaxoſis naſcũtur montibus, vt Auic. lib.2. T.1. *Siccantur expurgatæ, locis aſperginem non redolentibus, ſed quæ luto, aut puluere ſunt obſitæ, aqua elui debent.* hæc Dioſcorides. Quænam diligentiora à Pharmacopœis deſiderari poſſunt? at quoniam variæ extant magnitudine ſatis inſignes, hę multa in fruſtula ſecandę veniunt, & poſtea exſiccandę, quod reliquit ſcriptum ille, vbi de Helenio c. 31. & vbi de Iride ſic: *Quæ fruſtatim diſſectæ in vmbra ſiccentur, & traiectæ lino recondantur. Cum enim odoratæ ſint, facilius à Sole illo priuantur. Quæ autem magnæ, & inodoræ colliguntur, ſub Sole unica die exſiccentur ſæpe eas reuoluendo, & nocte loco ventoſo ſeruentur ab omni humiditate remoto. At ſi nubila cælum inuoluant, extendantur ſuper cribra, vel aliud ſimile ex humili, exilique arundine contextum, & igni ſiccentur. Aut ſi admodum magnæ, vt Serpentariæ, Bugloſſi,*

Vitis

Vitis nigræ, Dactamni, & similium, in multas partes, prius tamen mundatæ, diuidantur, & filo traiectæ, hoc verò ordine, ne sese tangant, vento exponantur, donec humiditate priuentur. Hæc Albucasis inter Medicos Arabes magnifaciendus lib. 28.

Seligantur radices, vt placet Gal. lib. 1. de Antid. c. 15. *extenso cortice, non rugoso; hæc enim earum maciem denotant.* At à Seplasiariis ista non seruantur; vtuntur enim quibuscunque radicibus. Et hæc maximè seruanda veniunt in radicibus non adhuc exsiccatis; quoniam multę, dum earum humiditas euanescit, corrugãtur. Sed quid dicendum de radicibus exsiccatis pro vsu desumptis medicinæ ab ipsis? quæ vt plurimum carie consumptæ, vt Chinę, conspiciuntur. Sed quoniam aliquæ radices integræ pro vsu medicinæ non probantur, at solum earum cortices, hæ internis medullis priuentur: tales sunt Apii, Fœniculi, Capparis, Pentaphylli, Raphani, Hellebori, & Rumicis hortensis, & agrestis: hoc iussit Haly, profectò hac in arte diligentissimus, lib. 10. Pract. c. 8. Serap. lib. de Antid. cap. 25. Actuar. de Comp. Med. Auic. lib. 5. S. 2. T. 7. & Mes. c. de Secaniabin de Radicibus, quarum cortices imperauit de-

Error Seplasiariorum.

Error alter.

Radices medullis priuãdæ quæ.

detergendos esse, & mundandos. Horum sæpe meminit Gal. vt 7. Simpl. facul. corticum radicum Capparis, sic & Diosc. & 2. ad Glauc. corticum radicum Rumicis hortensis, & agrestis; Longam ferunt decoctionem vt plurimum, sed odoratæ paucam, & admodum tenues, & exiles. Sunt quinque radices, quæ sunt in vsu, radix Apii, Asparagi, Rusci, Fœniculi, & Petroselini.

De Folijs, & Herbis *Cap. IV.*

ETsi non paruum discrimen adinueniatur inter herbas, ac folia; nam herba, teste Theophr. lib. 1. de Histor. Plant. cap. 5. dicitur, quod à radice foliatum sine caudice prouenit; quod etiam confirmauit Arist. lib. 1. de Plant. c. 7. attamen ambo nos sub eodem capite collocare decreuimus. Folia, quibus flores, & non rarò semina, & fructus ab iniuriis aeris custodiuntur, (extant enim tanquam horum omnium, si credendum est Aristot. operimenta) eligenda veniunt, narrante Gal. 4. de Sanitate tuenda, cap. 7. *quæ subtilissima, virentissima, atque in summis herbis nata.* Viridia enim in se conti-

nent

nent humiditatem incontaminatam, ac proprium calorem, ob quorum inopiam, vt decreuit Arist. lib. 2. cap. 1. *exsiccantur, & ob frigus glauca redduntur, proprio consumpto calore.* Quæ verò herbæ pro vsu medicinæ sumendæ sint, patefacit Gal. lib. 1. de Antid. cap. 2. his verbis, dum de illis, quæ exsiccatæ ab aliis regionibus deferuntur: *Ex herbis siquidem quæcunque vnà cum semine summis ramusculis adhærente apportantur, pro cuius conditione plurimum seminis habeant, vegetas exilibus, ponderosas leuibus, compactas flaccidis, tempore non consumptas citò absumptis potiores arbitrantur.* At non pauci Seplasiarii hæc omnia negligunt, & spernunt. *Herbæ autem, quæ apud nos reperiuntur vnà cum floribus, minutissimis, tenuissimisq. festucis colligantur, à quibus quicquid lignosum est, abyciendum.* Hæc 4. de Sanit. tuen. c. 4. In vmbra exsiccentur, vt elicitur ab eius dictis lib. 5. de comp. Med. per genera, c. 9. Etsi de omnibus herbis mentionem non faciat, dum de Siderite, & Perdicia sic: *Accipito herbas duas, quarum altera Sideritis, altera Perdicias appellatur, quæ domi sensim citra Solis admissionem siccantur,* Quod didicit Albuc. dum statuit loco calido longè ab humiditate exsiccari; difficilè enim hu-

Errores Seplasiariorũ.

midi-

miditas illarum absumitur, quæ semine abundant, & cum illo demetuntur; quarum malta enumerauit Diosc. l. 1. in proœmio, sic: *Herbæ, quæ ramis scatēt, sicut Stœchas, Trissago, Polium, Abrotanum, Seriphum, Absinthium, Hyssopus, & alia id genus, semine prægnantia demetantur.* Tēpus, quo integra seruantur, & valida, præfigit dicens: *Scire etiam conuenit, sola ex herbaceis medicamentis Veratri genera, nigrum, inquam, ac candidum, multis edurare annis, reliqua à trimatu inutilia.* Attamen multa post annum propriis viribus priuātur, potissimùm quæ apud nos oriuntur, nisi calore satis insigni præditæ existant. Omnes mediocrem ferunt coctionem, nisi admodum dura, ac densa sint substantia.

De floribus
Cap. V.

FLores plantarum ornamenta, seminum, ac fructuū amica domicilia, hominumq; deliciæ, nō solùm visum eorū multiformi varietate recreare possunt, & spiritus vitales iam ferè deperditos suaui eorum odore refocillare, & ad intima cordis contractos reuocare; sed etiam

mira-

mirabilem opem afferre multis malis, humanum corpus affligentibus, si conuenienti tempore seligantur, exsiccentur, & administrentur. Flores illi reputantur optimi, qui proprium odorem vigorosum seruant, propriumq; colorem: quæ duo nobis scripta reliquit Gal. 1. de Antid. c. 12. dum de Rosis sic: *Rosæ illæ decerpantur, quæ alijs plus olent, & rubicũdiores fuerint.* Flores enim qui magis odorati existunt, perfectè à calore concocti, si præstanda venit fides. Theophr. lib. de caus. Plant. Tempus legendi illos est, antequam (teste Dioscor. cap. 8.) decidant; vel, vt placet Gal. 4. de Sanitate tuenda, cum adhuc conniuent. At Auic. illos probat post vltimam reserationem: at ab his grati, atque suaues euanescunt odores; cum magis maturi existant. In vmbra exsiccentur, vt elicitur à Dioscor. dictis, dum dat exemplum de Oenanthe, id est, Vite siluestri, sic: *Fructus, dum florent, substrato linteo, in vmbra siccentur, qui interim continuò versandi sunt, ne muceant, neve situs in his insideat.* Hæc capite de Rosis, quas exsiccare iubet sub vmbra. Albuc. verò, & Rosas, ac Violas, & ceteros flores, Sole exsiccandos imperat: etiamsi non neget, meliorẽ esse eorum exsiccationem in vmbra,

bra,

bra, ſed magni laboris, & periculi, ne ob humiditatem propriam eorum odor, & color deſtruatur, quod Seplaſiariis imperitis ſæpe accidit. Reponantur hi, & omnia, quæ iucundum odorem exhalant, arculis tiliacis, nullo ſitu obductis, vt Dioſcor. vel capſis ex ligno, velut Albuc. Leuiſſimam ferunt decoctionem; facilè enim euaneſcit eorum facultas: immo Gal. ipſos non decoquebat, ſed macerabat, vt 4. de Sanit. tuen. c. 8. quo loco reprehẽdit aliquos dicens: *Etiamſi nonnulli macerari tum flores, tum ſemina non ferentes, decoquunt illos.* Qui his in locis naſcuntur, vt plurimùm anno elapſo ferè facultates amittũt ſuas; ſed facilè hoc cognoſcitur, ex deperdito pro maiori parte & odore, & colore. *Error multorum.*

De Seminibus
Cap. VI.

SEmina naturæ præcipuum opus, quibus perperuò plantę in eſſe ſeruantur, alimentum non tantùm, & iucunditatem hominibus præbent; ſed etiam multis eorum morbis occurrunt: & ideo ſolers, ac prouida Natura illis fabrefecit inuolucra varia, vt ab incurſionibus externis vindicarentur, veluti carnem, cortices, oſſa, & fili-

ſiliquas, in quibus, quamquam ſint repoſita; attamen gemina tunicula ea illic inuoluit, quæ omnia narrauit, & obſeruauit Ariſt. lib. 1. de Plant. cap. 2. *Legantur, vbi ſiccari cæperint, antequam defluant*; imperante Dioſc. in Proæ. Meliora exiſtunt, quæ tumida conſpiciũtur, vt lib. de bono, ac vitioſo ſuc. vult Gal. cap. 2. vel, vt placet Dioſc. dum de Xylo balſamo agens dicit: *Sit ſemen plenũ, grande, & ponderoſum*, quę omnia ſeruanda eſſe ego cenſeo in omni genere ſeminũ; denotant enim hæc materiam fuiſſe copioſam, & calorẽ decoquẽtem validum; dummodò & odor, & ſapor illis proprius ſeruetur, & vigeat. *Quæ verò multam in ſe retinẽt humiditatẽ, non probãtur illicò poſt eorũ collectionẽ; ſed poſtquàm aliquid humiditatis deperditũ fuerit. Quæ verò diutiſſimè fuerint repoſita, vires habẽt imbecillas. Horũ porrò terminus ſit, cũ ab ipſis diuiſis, quaſi puluis quidã tenuis excidit.* Hęc legũtur li. de Alim. facul. c. 10. At multi ho cin loco nõ de ſeminibus, ſed fructib⁹ mẽtionẽ feciſſe ſtatuũt. Ab his multa nobis innoteſcunt, videlicet, quæ optima ſint, & quę reiiciẽda veniãt. Quę à Seplaſiariis minimè ſeruãtur. Hæc poſtquã exſiccata fuerint, aut charta, aut foliis aptè inuoluta ſeruentur: ex Dioſc. præcepto

Error aliquorum.

in

in Procemio. *Vel stringantur in sacculis ex corio, vel papyro*, imperante Albuc. Decoctionem admodum longam non sustinent, & maxime odorata, & gracili substantia prædita. Galenus hæc non decoquebat, sed solum macerabat, sicuti scribitur 4. de Sanit. tuen. c. 8. sic: *Id quod sane nos facimus, non tamen ad semina, floresve coquendos, quippe hac coctione minime egemus, propterea quod ea diu maceramus: Etsi nonnulli laborem, aut longitudinem temporis non ferentes, ipsa decoquunt.* Terminus eorum durationis est varius pro varietate substantiæ; quæ enim densa, & crassa per longum temporis curriculum integra seruantur. At Gal. ob oculos nobis posuit signum, lib. de Alim. facul. cap. 10. eorum facultatis decrementi, & interdum ablationis, quod est, *cum puluis quidam tenuis ab ipsis diuisus decidit.* Adde eorum sapores, atque odores aut minui, aut aboleri, vel in alium degenerare. Non est præterea ignorandum varia seminum genera adinuehiri, quorum quædam cortice satis duro obteguntur; aliqua leui, atque facile separabili; nonnulla tenui, sed ita adhærenti, vt minime auferri possit. Omni igitur ingenio, quoad fieri potest semper est elaborandum,

vt cortice quocumque denudentur, inu-tilis enim vt plurimum, & substantiæ seminum aduersans esse ab omnibus reputatur, & ideo seniores Arabes iubent Amygdalas non tantum à duro, ac terreo cortice denudandas esse; sed etiam ab internis illis inuolucris. Inter hos fuit Auic. libr. 5. S. 1. Haly 10. Pract. & Serap. libr. de Antid. quarum exemplo debemus nos & Pineas, & similia, cortice illo tenui exuere. Modum aliqua excoriandi proponit Albucasis, dum de Carthamo agit, dicens: *Accipe Carthami semina optimè purgata ab immunditiis, & Sole diligenter exsiccata, in mortario leuiter contundantur, ita vt cortices disrumpantur, manibus fricentur, & per cribrum traiiciantur semina, corticibus in cribro manentibus, & sic de aliis seminibus faciendum. Sunt aliqui manibus à disruptis seminibus medullam sigillatim educentes. Amygdalæ, Nuces, ac similia, aqua feruenti superfusa, & digitis compressa, quam facillimè cortice priuantur. Aliqui cultro accurate illas auferre tentant.* Hæc ille. Nolo silentio inuoluere, Gal. multis in locis semina fructus appellare, vt 6. & 8. de Simpl. facult. quibus libris semina Hyperici, Periclymeni, Vrticæ, Seseleos,

Carthami semen quomodo mundetur.

Semina fructus interdum dicuntur.

Seſeleos, & aliorum, fructus dixit; ſicuti è contra interdum fructus ſemina vocauit. Semina quatuor frigida maiora dicuntur hæc, Cucurbitæ longæ, Melonis, Cucumeris, & Anguriæ, Dullaba à Serap. hæc appellatur. Minora vero, Lactucæ, Portulacæ, Scariolæ, & Endiuiæ.

De Fructibus Cap. VII.

FRVCTVS non pauci inter ſemina locantur, cum partem illam in ſinu ſeruent, quam ſemen vocamus: attamen ab illis re vera differunt, cum fructus ex carne, & ſemine conſtent, vt Theophr. placet libr. 1. de Hiſtor. Plant. cap. 4. & interdum eorum ſemina ſubſtantia quadam oſſea cuſtodiantur. Omnes partes illorum diligentiſſime in medium attulit Ariſtot. libr. 1. de Plant. cap. 2. quæ tamen non omnes fructus exornant, ita: *Fructus quidam ex multis partibus, & alii ex paucis, vt Oliua*; iſtæ enim corticem habent, carnem, teſtam, & ſemen; ſed inter has caro ſolum, ſi vt fructus cõſiderentur, à Pharmacopœis, & Medicis in vſu habetur; quoniã interior illa pars, ſemẽ ab omnibus nũcupatur.

Fructus illi probantur, qui multa carn[illegible] portione sunt insigniti. Quod respicie[illegible] Gal. hæc pronunciauit, lib. de bono, & v[illegible] tioso succo c. 5. *Meliores, qui intumescun[illegible] siccitatem enim & duritiem exuunt, & m[illegible] litiem, & humiditatem acquirunt.* qu[illegible] forte sic tumidos appellauit vegetos. li[illegible] 1. de Antid. Tales autem à me reputantu[illegible] qui optime concocti sunt; hi enim & m[illegible] gnitudine decenti, & odore, & sapore a[illegible] commodato sunt prædití. Incocti ver[illegible] Arist. teste lib. 2. de Plant. c. 1. ad amar[illegible] tudinem tendunt, vel ad aciditatem, v[illegible] ad austeritatem. & ideo Gal. lib. 2. de A[illegible] lim. facult. affirmauit, meliores esse ma[illegible] turos immaturis; *nam à calore transmuta[illegible] ti dulces fiunt:* nisi Medicus eorum qual[illegible] tatem adstringentem exoptet. Cum sun[illegible] maturi, iubente Dioscor. in proœmio, ex[illegible] cutiantur. Exsiccentur sub Sole, & sæp[illegible] reuoluantur, & confundantur; at si tem[illegible] pus nubilum sit, ignis calore super crati[illegible] culam ex lignis constructam siccandi e[illegible] runt. Hos duos exsiccandi modos nos do[illegible] cet Albu. dum de Colocynthide agit. Sun[illegible] omnes fructus, si possibile est, à nuclei[illegible] expurgandi, & à tuniculis mundandi, pri[illegible] us tamen panno aspero diligenter deter[illegible] gantur. Nucleos educendos esse, de Pru[illegible]

nis præ-

is præcipit Auic. lib. 5. Ser. de Antidot. & à Dactylis, vt Haly 10. Pract. Hoc etiam obseruatur in omni genere Myrobalanorum, si credendum est Mes. Auic. Haly, & Ser. qui postea oleo rosaceo, aut amygdalino sunt illinendi, sicut illi decernunt. At si non possumus illos euellere, cultri variis ictibus plagentur, aut varias in partes diuidantur. Semper in descriptionibus sumatur pondus fructuum nucleis priuatorum; maximum est enim discrimen inter illos, qui nucleis sunt onusti, & illos, qui priuati; nam Myrobalani vt plurimum citrini sexaginta pendent vncias septem cum dimidia, & nucleis priuati tantum vnc. iiij s. Chebuli sexaginta vncias iiij. mundati nouem. Pruna centum enucleata vncias decem circiter pendent. Fructus interdum decoquuntur, vt solum eorum facultas liquori communicetur; non raro, vt eorum caro, aut pulpa per cribrum traiiciatur. Exemplo sint nobis Dactyli, qui postquam aceto macerati fuerint, per cribrum transmittendos esse imperarunt Haly loco citato cap. 15. & Ser. cap. 16. Inter fructus enumerari Vuam nemini est obscurum, & ideo & ab ipsa, quotiescunque occasio postulabit, acini remouendi erunt. Iubent omnes A-

Vua ab acinis mundãda.

rabes ab Vua passa semper acinos auferendos esse: à quorum dictis elicere possumus apud ipsos in vsu non fuisse Vuam passam illam, quæ acinis priuata nascitur cuius maxima copia à Zacyntho ad nos defertur, sed grandem illis præditam cuius meminit Gal. 2. de Alim. facul. c. 10. sic: *Inter passas præstantiores pingues existunt, corticem tenuem habentes; nonnulli autem, & rectè sanè, è dulcibus, grandibusque (quales sunt Scybelitides) priusquam mandant; semina eximunt, eas cogunturin aqua macerare; nam semen facilius sic educitur.* Nec Dioscor. cap. proprio mentionem aliquam fecit de illa acinorum experte, semper enim de ipsis verba habet, interdum vtens illa cum acinis & interdum illis priuata. Gal. vero vtramque commemorauit. Longiorem sustinent decoctionem, quam herbæ, nisi à Medico tantum desideretur illa qualitas, quæ in superficie residet.

Error circa Vuam passam.

Error aliquorum.

De Lignis, & Corticibus Cap. VIII.

NON rarò & Ligna, & Cortices ad vitæ vsum necessaria existimantur, quæ interdum à stipite, aliquando à ramis, & quandoque à radice desumuntur.

Theophr.

Theophr. 1. de Hiſt. Plant. c. 4. *Lignum appellat, quod fiſſile eſt; & carnem, quæ omnibus dimenſionibus diuidi poteſt, vt terra. Cortex autem eſt pars vltima, à ſubiecto corpore ſeparabilis.* Probantur illa, quæ proprium odorem. ſaporem, colorem, & ſubſtantiæ grauitatem, aut leuitatem ſeruant. Nos autem nomen Ligni & Carnis confundimus, vnum pro altero deſumentes. Auic. libr. 2. Tract. 1. cap. 6. decreuit inter ligna virgas deſumendas, cùm iam ad integritatem peruenerint, & non inceperint extenuari, & contrahi. Cortices, vt retineantur, eximere conuenit, cum herbæ ſuis foliis exuuntur, teſte Dioſcorid. in Proœ. Hæc omnia longam deſiderant coctionem, niſi admodum odorata, & ſubſtantia ſint rara. Prius frangantur, & diſrumpantur, aut lima in ſcobem redigantur.

De ſuccis eliciendis, parandis, ſeruandis, & exſiccandis *Cap. IX.*

CVM de Plantis, earumque partibus narrationem perfecerim, nunc de Succis, qui ab ipſis eliciuntur, tractationem admodum Seplaſiariis vtilem aggredi non grauabor.

Hi non tantum ab herbis, ac foliis exprimuntur; ſed etiam à floribus, fructibus, ac racemis, nec non etiam & à radicibus, & ramulis, prius non rarò aqua, aut alio liquore macerati, vt Dioſcor. placet, maximè cap. de Spartio, ſeu Geniſta, circa quos hæc conſideranda, & perpendenda veniunt, Tempus illos exprimendi, Modus depurandi, Ratio ſeruandi, & tandem recta Via illos exſiccandi, quotieſcunque placita Medicorum hoc imperent, & ſtatuant.

Error aliquorum.

Elici debet Dioſcorid. imperante (quod à paucis Seplaſiarijs ſeruatur) *herbarum ſuccus, & foliorum, germinantibus adhuc cauliculis*; tali enim tempore facultas plantarum in illis viget, cùm natura minime ſemina producere tentet. Iubet Albuc. pluribus in locis, folia deſumenda eſſe, ac terenda ante ortum Solis, quod

Error alter.

à me probandum re vera non exiſtit; nam cum à matutino rore ſint aſperſa, ſuccum non ſincerum ab ipſis exprimi neceſſe eſt, immo impurum ob humidi, frigidique roris admiſtionem; vnde hebetatur, & langueſcit ſuccorum virtus. Adde, vt experientia demonſtrat, flores rore aſperſos, ab aliquo comeſtos, tormina, & ventris dolores excitare; cum ros nihil aliud

liud sit, quam vapor ab aeris frigiditatê in aquam concretus, vel leuissima pluuia, vt Arist. placet 1. Metheor. cap. 11. Torculari, aut manu per linteum exprimantur, vt lib. 3. de Comp. Med. per loc. & Orib. 3. Synop. hæc: *Linteo denso contrita excipito, & comprimito, vt succus egrediatur.* Ne autem putredine contaminentur, & partes crassiores segregentur, decoquantur; humida enim eorum portio est in causa, vt acescant, quæ nobis reliquit scripta Gal. lib. 3. de Simpl. Med. facul. c. 15. his verbis: *In succis omnibus aliud quod grauissimum, aliud leuissimum, & aliud terreum est illi permistum: vnde euenit alios acescere, & alios corrumpi; & ideo indigent protinus ab initio coctione quadam.* Cuius terminus, si Mes. præstanda venit fides, vt plurimum est ad tertiæ partis consumptionem, sicuti aperte elicitur, vbi agit de Serapiis, qui præterea statuit, dum decoquuntur, despumandos esse, præcipue vbi de Miua Cydoniorum agit; deinde per colum transfundantur, & residere permittantur, donec clarescant. Hæc ille. Imperat Auic. lib. 5. S. 1. T. 6. coquendos esse ad dimidij consumptionem. Alium modum litteris tradidit Albuc. de quo, vbi de decoctionibus. Reperiuntur

tamen aliqui ſucci, qui aliqua coctione non indigent, ſed proprio calore decoquuntur, ac depurantur, aliquo tamen temporis curriculo, vt Citri, Cydoniorum, Pirorum. Seruantur per aliquod tempus incontaminati, oleo illis ſuperinfuſo, aut melle admiſto, ſicut ſcribitur lib. 3. Simpl. Med. facul. cap. 15. ſic: *Reponimus Roſarum ſuccum melle miſcentes, aut oleo incoquentes.* Sic & Meſ. oleo affuſo, & vaſe bene operculato inſtituit infuſionem Roſarum, & Violarum ſeruandam eſſe: ſicuti etiam melle & ſaccharo conſeruantur multi ſucci, vt in Serapiis videre licet, & melle roſaceo, qui tamen ſi ſolitarii reponantur, facillimè corrumpuntur, vt 6. de Comp. ſec. loc. cap. 3. Et narrat Galenus, ſe vidiſſe per multos annos ſeruatum fuiſſe antidotum de Cydoniis.

Exſiccantur varia genera ſuccorum, cum tamen illi prius fuerint & decocti, & depurati, aut igne, aut inſolatione, veluti legitur loco ſupra citato ſic: *Quidam vero ſucci ad Solem æſtiuum exſiccentur, ſed linteo tegantur aliquo, ne aliquid in ipſos decidat.* hoc mandatum eſt Dioſc. libr. 4. c. 156. capite de Elaterio, vbi hæc: *Humor in pelui agitetur, & linteo opertus Soli exponatur.*

natur. Prisci quoq; Medici insolabant succos, vt 6. de Comp. Med. secundum loc, c. 2. sic: Ex Andromacho *insolato, aut coquito ad spissitudinem*. Et c. 3. hæc: *Quidam vero succi etsi ad Solem æstiuum exsiccentur ad moderatam spissitudinem, per tempus tamen exarescunt, vt Vuæ acerbæ succus, Centaurij, Glycyrrhizæ, quibus suadet aliquid mellis addēdum, ne ita resiccentur*. Sed quisnam est recentium Pharmacopœorum hoc agentium? immo in ipsos & pulueres, & festucas, & animalia nō pauca cadunt, ob eorum incuriam. Et nō pauci spernētes Gal. & Diosc. mandata, non ad Solem illos densant, sed ardentissimo igne. & quonam vase? æneo. vnde à vehementia æstuantis caloris eorum destruitur facultas, & à vase perniciosa introducitur qualitas, præcipue cum sint coacti, dum ipsos à vase extrahere cupiunt, detergendo abradere aliquā illius portiunculam. Vt fugeret excedentē ignis calorē, illos exsiccare decreuit Auic. vbi de Elaterio, super cineres calidos. Suaderē igitur illos, ne in tā graue erratū labantur, succos duplici vase (quod Balneum Mariæ dicunt) densare. Quotiescunq; autē à fructibus succos elicere cupimus, sint illi talibus cōditionib. insigniti, quæ à Scriptorib. imperātib. proponun-

Error aliquorum.

Elaterium quo pacto parandum.

ponuntur; ne contrarias qualitates corporibus infirmis afferant: eſt enim maximi momenti, atque ponderis, à Cucumere ſiluestri ſuccum educere ante eorum perfectam maturationem, & concoctionem; cum innumera detrimenta, ventriculum ſubuertendo, anxietates, angores, ſanguiniſque fluores, teſte Meſ. ſuſcitare poſſunt. Et ideo Dioſcor, hæc memoria digna circa tempus ipſos colligendi, ac parandi reliquit ſcripta lib. 4. c. 156 ſic. *Decerpti Cucumeres, qui tacti protinus exiliunt, & diſrumpuntur, ſeruantur nocte vna.* Tales exiſtunt, qui à Meſue Citrini dicuntur à viridi colore expoliati. Subdit Dioſcor. modum parandi ita: *Poſtridie impoſito ſupra craterem rariori cribro, vtriſque manibus prehenſi ſigillatim ſupino cultro ſurſum verſus aciem habente findantur, atque per cribrum humor in ſubiectum vas decidat, ſimulque carnoſum, quod hæſit cribro, quò facilius excidat, eliditur, quod ita preſſum eſt, reſidere ſinitur, atque in vicinam peluim demittitur; coacervata autem in cribro ſegmina dulci aqua perfunduntur, & denuo preſſa abiiciuntur. Humor in pelui agitatur, & linteo opertus ſoli exponitur: Dumque ſteterit tota ſupernatans aqua cum humore*

more concreto effunditur; hoc verò identidem fieri ſolet, donec exiſtens aqua liqueſcat, qua ſtillatim exhauſta ſedimentum mortario ſuſcipitur, & conterendo cogitur in paſtillos. Hæc omnia ille. Alium modum proponit Auicen. libr. 2. T. 2. his verbis: *Accipitur eius fructus in fine æſtatis, poſtquam fuerit citrinus, & ſuſpenditur in panno, vt deſcendat eius aqua, & coletur, & exſiccatur in ſcutella ſupra cinerem, & poſtea ponitur ſupra tabulam in vmbra.* Amaturis igitur, & perfectè concoctis ſuccum elicere debent omnes Pharmacopœi, ſi ſecundum rationem, & grauium Scriptorum ſententiam agere ſibi perſuadent. At non pauci eorum inueniuntur, negligentia, & ignorantia obcæcati, qui audent, ſpernentes Dioſcor. Auic. & omnium Medicorum mandatum, ab acerbis, ac immaturis ſuccum extrahere. Dij immortales, quid magis impium? quàm ob leuiſſimam interdum impenſam tam grauia, atque inſignia peccata cõmittere? Vidi ego, nec mihi ſomniare videor, oculis proprijs varios Seplaſiarios, quos & multi Medici viderunt (audite facinus notatu dignum) ab ipſis omnino acerbis, ignorantia, & pertinacia quadam impulſos, ſuccum exprimere,

Error aliquorum circa Elaterium.

primere, irridentes, & negligentes Medicorum præſentium reprehenſionem, & antiquorum placita. Sed facile tale Elaterium cognoſcitur, ſi memoria cuſtodiuntur illa à Dioſc. decreta, his verbis: *Optimum eſſe conſtat leue, non ponderoſum, cum candore leuiter humectum, guſtatu amariſſimum, quodque lucernarum luminibus obiectum facile flagret.* Porraceum autem, ſcabrumq; & turbidum ſi ſpectetur, vitioſum. Tale erat illud, quod à iam dictis parabatur. A bimatu ad decennium Elaterium deiectionibus vtile eſſe ſolet, vt ille affirmat.

Succi omnes exſiccati, & maxime peregrini, macerentur, vt diſſolui, & leuigari facilius poſſint, ſicuti primo de Antid. c. 15. legitur: *Non ſint autem diuturnitate arefacti, neque ſuas qualitates obſcuras habeant, has dico, quas guſtu, & tactu percipimus.* Nam inueniuntur aliqui ſuccorum, *narrante Gale. li. 6. de Comp. Med. per loc. c. 3. *qui ſi ad plures annos durauerint, in eam perueniunt ariditatem, vt conteri queant in modum Citinorum, & Balauſtiorum, tales exſtant Hypociſtidis, Vuæ acerbæ, & Glycyrrhizæ. Quidam verò natura ita ſunt tenaces, & viſcoſi, vt in laminam magis abeant, vt conterantur.* Arefacti igitur

vetuſtate

vetuſtate ab ipſo damnantur: ſi neceſſitate compulſi præcipiti illis vti volumus, in fruſta ſcindantur parua, deinde alio iam trito, ac arido conterantur. Multos horum decreuit terendos eſſe Gal. dummodo humidi non ſint, veluti Opium, Hypociſtidis ſuccus, dulcis radiculæ, & Acacia, vt 1. de Antid. c. 5. Sed melius erit, ſi natura compoſiti permiſerit, aliquo liquore eos macerare. Macerentur, vt lib. iam citato dicitur, vino per diem, vel per diem, & noctem, imperante Actuario, poſtea per cribrum, vel aliud ſimile traiiciantur, vt ab omni parte impura, & inutili expurgentur. Inter ſuccos enumeratur Aloe, quæ facile piſtillo, placide tamen agitando, minuitur, quod obſeruandum etiam venit ceteris in ſuccis; facile enim in vnum coeunt, & in placentam abeunt.

Viſcidi, atque lenti ſucci per linteum ratum manibus compreſſum, aut vaſculum vimineum, aut cribrum ex ſeta equina contextum tranſmittantur, ſintq; potius calidi, quam ſecus; quia longo tempore indigent, antequam depurentur.

Modum denſandi varia genera ſuccorum nos docuit Meſ. diligentiſſimus *Succos denſandi modus*

Diſt.

Dist. sexta, exemplo tamen desumpto à Rob de Ribes, siue Sapa Ribes, quo pacto ceteri densandi veniunt: cuius hæc sunt verba: *Accipe succi Ribes lib. decem, coquantur igne lento ad tertiæ partis consumptionem, colentur, & subsidere permittantur, donec clarescant; clarum deinde igne clementi in vase vitreo, coquatur, aut exponatur Soli, vsquequo ad iustam crassitudinem perueniat, & seruetur*: Sic imperat densandum esse Oxalidis succum, Citri, Omphacij, de Berberis, Mororum, Cydoniorum, & similium. Seruantur omnes succi saltem per annum, qui apud nos crassescunt; peregrini per longius temporis curriculum. Inter succos etiam locauit Theophr. li. 1. de Hist. Plant. c. 19. Vinum, & Oleum, de quibus, cum occasio postulabit, orationem suscipiemus. Aliqui pro firmo, ac rato habent succos sub Sole densatos calidos ita fieri, vt corpora inflammata, & febricitantium lædere possint: quod non tantum Scriptorum grauium opinioni repugnat, qui succos varios densandos esse inflammationi repugnantes decreuerunt; vt est succus Vuæ acerbæ, & Mororum ad crassitiem decoctus, à Gal. mirum in modum probatus ad faucium inflam-

inflammationes curandas: ſed etiam experientiæ; nam Oxalidis ſuccus, & Citri igne, aut Sole denſatus, nec ſalſus, nec amarus euadit, immo Glycyrrhizæ dulcior, niſi aduratur longo temporis tractu, maximè ſi Solis calore hoc agatur: placido enim modo in auram ſubtiliores partes euaneſcunt. Nec mel, quod facilè amareſcit, lento igne decoctum euaporata ſuperflua humiditate denſatum nullius amaritudinis fit particeps.

De Mucagine elicienda, quæ ab antiquis ſuccus appellatur
Cap. X.

MVcago inter illos ſuccos enumerãda venit, qui maceratione fructuũ, aut ſeminum, aut radicum, viſcedinem in ſe continentium cõficiuntur. Succum illã vocarunt Orib. 3. Syn. & Paul. necnon etiam Damocrates, referẽte Gal. 2. de Cõpoſ. Med. per genera c. 10. qui modum eã parandi his cecinit Carminibus:

Ollæ orificio amplo recenti fictili
Maluæ radix purgata, & contuſa, vt fuerit indita.
Mox addito Fœnugræci elutũ probè
Linique ſemen: at cum ſuccum emiſerint

Coctura, spissitudinemq; acceperint,
Habeto succum, expresseris quem linteo.

Ab his quattuor memoratu digna eliciuntur, quæ sunt, illa, ex quibus mucilago educitur, sint purgata, & abluta, sint crassè cõtusa, cocta, & calida expressa linteo; sit tamen rarum, vt faciliùs permeare possit ille lentor. Non est tamen ignorandum, priùs illa maceranda esse per diem, & noctem, præceptum est Auic. l. 5. Ser. 1. Tr. *11.* vbi de Diachylone, sic: *Semina Fœnugraci, Lini, & Althææ infundantur die, & nocte, postea sumatur illorum mucilago, quæ bulliat ebullitione vna.* At non quæcunq; semina ebullienda veniunt, sed satis erit, si tantùm macerentur, sicuti de Psyllii semine reliquit scriptum Asclepiad. vt legitur 7. de Comp. Med. secundum locos cap. 4. ita: *Psyllium in aquam calidam coniectum macerari sinito, atque vbi viscosum, & glutinosum de se in aquam deposuerit, liquorem exprimito.* Ebullire non imperat Psyllium, sicuti nec Orib. 3. Syn. vbi de Pastillis ex Electro. Mes. autem cap. de Psyllio, in aquam frigidam, & non in calidam ipsum infundit, cuius verba sunt: *Aqua frigida maceretur, & agitetur,* & subdit: *à Psyllio aqua frigida macerato fontana & quassato, fit mucosa portio.* Sed fortè Ascle-

piades

piades celeritatem compositionis mucilaginis cupiebat, & eius maiorem crassitiē, necnō etiam fortè aliquem eius calorem, & acutiem, quæ in intimiori eius parte commoratur, & à calore excitata aquæ foras erumpit. Antequam immergatur aqua, si sequi volumus Dioscoridis dicta, teratur: cuius quoque sententiæ fuit Damocrates, vt lib. 2. de Antid. c. 3. vbi de antiqua Phthisi, sputoque sanguinis comite febre latenti, cuius Carmina sunt:

Alia cribro tusa excerne tenui,
Immitte solùm in mortarium Psyllium,
Multò plus tamen, vt inde quãtum velis
Sumas; nam totum comminui nequit.

Mes. verò contritum omnino vituperat, & nullo modo exhibendum esse affirmat: *quoniam medulla eius interior quarto ordine calida, & sicca existens exulcerat, & rubificat.* Hic, ni fallor, refrigerare, & lenire solùm studebat, at ille & lenire, & attenuare, & incidere, sibi proposuerat.

Quantitatē aquę, aut alterius liquoris, in qua semina macerari debēt, statuit Or. Syn. sic: *Succũ seminis lini ita cõfice: Ad libi seminis diligẽter abluti sextariũ, tres aquæ appe, & coq;, & paulatim insperge.* Sed non

ita facilè, me iudice, exiſtit decernere aquæ quantitatem certam pro varia natura ſeminum; aliqua enim lentoris maiorem copiam in ſe habẽt, & alia minorem. Præterea in nonnullis medicaminibus mucaginem denſiorem, aut remiſſiorem, vel aquoſiorem Medici cupiunt: & ideo aliquando pro ſingula vncia tres aquæ imponuntur: interdum vna in quattuor, aut quinque maceratur, vt aliqui dicunt. Hæc autem agenda eueniunt, quotieſcumque à Medicis aliter non determinatur. Nonnulli autem Recentiorum ſemina illa viſcida linteo inuoluunt, vel marſupio, & ſacculo imponunt, quem manibus, dum ebullit, aut aliquo ligneo inſtrumento comprimunt, placidè tamen, vt mucago foras labatur: at hi re vera aſſequuti non ſunt mentem Scriptorum, aut illam paruifaciunt: quoniam ſi talis eorum extitiſſet voluntas, hoc imperaſſent, ſicut iubent interdum Crocum nodulo ligandum eſſe, ac manibus comprimendum, non rarò & Scammonium, docente Meſue; ſed dedita opera hoc neglexerunt, vt mucilago copioſa, atque multa eſſet, & præterea ſatis viſcida, & tenax, quod non eueniret, ſi ſacculo detenta illa eſſent. Obſeruauit talem mo-

Error aliquorum.

dum

dum parandi mucaginem, dum de Psylii mucilagine agit, quem ab ipso isti didicerunt. Postquam expressa fuerit omnis mucago, quam Emplastra, aut Cerata recipiunt, placidè decoquatur, vsquequo humiditas superflua absumatur, & postea ceteris immisceatur.

De Gummi, & Resina. Cap. XI.

APpellauit preterea Arist. 1. lib. de Plát. c. 2. Succum omne illud, quod præcipuè à plantarum truncis emanat, & in vnum concrescit, cuius sunt verba: *Quædam plantarum succum habent, vt Resinam, Gummi, & Myrrham, Thus, & Thymiama.* Quæ tamen multi, & vera ratione, inter se distinguũt. Theophr. tamen lib. 1. de Hist. Plant. c. 3. sub nomine Humoris, Liquoris, & Lacrimæ, omnia est amplexus. Est Gummi substantia humida potiùs, & aquea, quàm secus, circa arborum truncos concrescens, quę igni iniecta minimè flammã à se edit. Resina verò pinguis, & oleaginosæ substantiæ est particeps, quæ facilè prunis admota accẽditur, & odorem emittit. At non pauci nõ rarò gummi cum resinis confundunt.

Hanc distinctionem affert lib. 9. de Hist. plant. cap. 1. sic: *Hæc autem omnia, aut ferè quæcumque aliqua pinguedine constant, odorata esse notantur, quæ contra pinguedine carēt, hæc sine odore proueniunt, vt Gummi, & Amygdalæ lacrima.* Sub hoc autem nomine & omnia genera gummi, & resinarum intellexit, & quicquid in modum lacrimæ gignitur; lacrima enim nomen cō- mune, & resinis, & gummi procul omni dubio à me censetur ; cùm hæc omnia à truncis sensim emanent, vt lacrimæ ab oculis fundūtur, quas aliqui liquores dicūt. Gummi propriè à multis vocantur Arabicum, Vernix, Tragacantha, &c.

Hæc omnia probanda erunt, cum propriam substantiam à natura tributam seruant & colorem, & odorem, & saporē. Omnes gummi, & resinarum species, vt Tragacantha, iubet Galenus macerari, & dissolui 7. de Comp. Med. per loca, c. 1. dū de Arteriaca à Critone descripta, & ante à Gallo, cuius verba sunt: *Tragacantha, & Styrax per diem antea in sufficienti patropē macerentur, & ad reliqua misceantur.* Dissoluebat & gummi, & resinas Asclepiad. vt eodem lib. legitur sic: *Gummi Tragacantha, Myrrha, Thus, & Hypocistidis succus macerentur*; prius tamē sint confracta,

vt

vt 1. de Antid. c. 5. reliquit Gal. scriptum. Interdum tamen vtitur gummi contuso, atque trito, vt ibi scribitur. At ferè semper in medicamētorum descriptionibus, quibus reperitur gummi, erit aliquis liquor, si tale pharmacum liquore excipiendum venit, & ideo l. 8. cap. 3. vbi de pastillis Asclep. hæc habet: *Tragacantha vino macerata vnito.* Sed si fortè fortuna nulla sit à Scriptore Medico præfixa humiditas, docet Gal. diligentissimus eodem loco quid agendum, ita: *Liquor sit affectioni conueniens, & componito pro more.* Vnde ferè semper hæc macerentur, nisi medicamētum tritum sit seruandum, aut exhibendum. Sic & resinę, cum in placentam, propter earum oleaginosam naturam, facilè abeant, dissoluantur, & liquentur aliquo humore, sed potissimùm melle, imperante Gal. 2. de Antid. c. 15. his verbis: *Resina terebinthina cum melle in vase duplici liquetur, tum Styrax, & Galbanum prius confracta.* Sed nō tantùm melle, sed etiam vino macerantur; vt 2. de Ant. c 9. vbi de Antidoto Mithridatis Eupatoris, vbi sic: *Construitur hoc modo Cyphi, Hypocistis, Sagapenum, Gummi, Opium, Styrax, Opopanax, vino Chio macerentur, die noctuq; quoad penitus dissoluta sint.* Et eodem

libro in fine, vbi de Emplaſtro ad rabidi canis morſum ex Damocrate ſic habet:

Chalcitim ſparge: vasq. ſeorſum aliud
Colliquet mella, Chalbanũ, & Propolin.
Ac ſi quid aliud liquandum adſit, liquet.

Et 6. per loc. quo deſcribitur Stomaticũ ex Beſaſa Heræ ſic: *Myrrha per ſe ſola mello agitato, & cum alijs miſceto.* Præcipit gummi vino, aut alio liquore diſſolui Haly lib. 10. cap. 3. Sic & Auic. lib. 5. aut vino, aut melle, & poſtea colo traiici, vt à partibus impuris omnino mundentur. Modũ infundẽdi, & macerandi Ammoniacum, Sagapenum, Opopanacem, Aſam fœtidam, & Bdellium ante oculos nobis poſuit Albuc. his verbis: *Accipe Ammoniacum, & pone in aceto per noctem, vt benè diſſoluatur; poſtea proyce ſuper cribrum ex ſetis, & frica cum manu, (aut ſpatha lignea) donec deſcẽdat de cribro.* Cribro traiicit, vt à ſordibus expurgetur. Quapropter hæc omnia maiori ſemper macerentur quantitate, vt ſi aliquid impuri in ipſis reſideat, tanta ſuperſit, quanta in medicamento illo requiritur. Sit cribrum rarum, cùm craſſa, ac lenta ſint hæc ſubſtantia donata.

Si autem aliqua Gummi, aut Reſinæ terendæ veniunt, ſic tamen iubentibus

Scri-

Scriptoribus, sint hæc omnia cuiuscumq. humiditatis expertia, & leuiter, ac lentè terantur, pistillum ad latera mortarii circumuoluendo, ne in vnum cogantur. Hoc præceptum est Galeni lib. iam citato, cap. 15. dum de Thure sic ait: *Thus quoque per se solùm in mortario seorsum leuiter comminuere satius est, ne in placentam coeat: sic gummi aut per se, aut cum thure læuigare necesse est.* Vel possumus nos, imperante Albuc. scindere, aut diuidere in parua frustula, & cum aliis tritis terere nunc vnam portiunculam iniiciendo, nunc alteram.

De illis, quæ sub nomine Terræ continentur, & primo de Metallis ac Metallicis Cap. XII.

CVm satis abundè de illis, quæ à plantis desumuntur, narrauerim: operæpretium erit sermonem aggredi illorum, quę terrestria ab omnibus, & potissimùm à Galeno nuncupãtur. Terno hæc omnia ille sub ordine locauit lib. 9. Simplic. Medic. his verbis: *Secundum igitur significatũ, quod celebratur à Philosophis, tribus finietur generibus terræ differentia; siquidem vnum genus Lapis est; alterum corpus Metallicum;*

licum; tertium Terra, quæ colitur. Metallicum corpus est illud, quod fundi potest, sicuti ibi legitur; Cui descriptioni multi addunt, & malleo ducibile, at Galen.cap. de Metallicis, non tam angusto termino hoc nomen constrinxit; quoniam Metallici corporis tria esse genera posteritati scriptũ reliquit, ita: *Metallica medicamenta appellare Medicis mos est, quorũ generatio in metallis est, siue spõtanea, siue per fornacem facta: & ad hæc tertio loco sunt, quæ rursum homines ex his ipsis præparãt, veluti Cerusam, Psoricum, Sandica, & Gypsum.*

Celebrantur, quæ non admodum vetusta, sicuti lib. 1. de Compos. Medic. secũdum loca c. 2. docetur: & quæ puriora, & loco aptiori nata; quod respiciens Gal. veluti legitur 1. de Antidot. c 13. in varias, remotasque partes se transtulit, cuius verba sunt: *Cyprum itaque nos hac de causa visere voluimus, vbi habuimus amicum sodalem procuratoris, qui fodinis præerat, à quo loco Cadmiam, Diphrygem, Spodium, Pompholygem, Chalcitin, & Misy, Sory, & Æs vstum asportaui.* Metallum autem dicitur ab ipso lib. de Simpl. iam citato, *quod fundi potest*, de quo à nobis non est diligenter tractandum, immo illud sicco pede transeundum.

Hæc omnia ante eorũ vſum, cùm ſubſtantia dura, ac denſa ſint inſignita, aliqua indigent præparatione, vt corpora ægra permeent, & in altum ſe conferant: quod patefacit Gal. lib. 2. de Comp. Med. per genera c. 2. dicẽs: *Omnia metallica cum craſſarum partium exiſtant; multũ enim terreſtris ſubſtantiæ in ſe continent, artificij nonnihil in præparando requiritur, vt tenuiora fiant; nã, vt ſcribitur, poteſtatẽ ſuam in altũ corporis non extendunt. Vt ad cutim autẽ ſe extendãt, & corporis meatus pertrãſeãt, ſubtiliora, & tenuiora faciẽda veniũt.* Tenuiora fiũt, veluti ibi narratur, per triturationem, & acetum diligenter elaborata.

Quantò autem longiori tempore trita fuerint, eò tenuiorem ſubſtantiam conſequuntur; & ideò anguſtis vulneribus erũt aptiora. hæc lib. 3. per genera cap. 3. Sed horum multa acrimonia, ac morſu inſignita exſtant, ideò abluenda veniunt aliquo liquore, læuiganda, & interdum coquenda.

Abluuntur metallica alia ſemel, alia bis, & alia frequentiùs, & hæc idonea ſunt ad exſiccandum ſine morſu. 9. Simpl. priùs tamen læuiganda, ita docente Galeno eodem libro. Modum abluendi metallica, omniaque dura tradidit literis

ris lib. 2. per genera, his dictis : *Atque hunc in modum omnia, quæ calefieri, & fundi possunt, lauabis. At si qua lapidosa, & dura, veluti Cadmia, æris squama, & æs vstum, exactè in tenui cõminuẽtem plurimum in aqua terere fõtanali, & purissima oportet; deinde priori effusa, quoad nihil in aqua innatet, maneatq. prorsum à cõtriti medicaminis qualitate immunis.* Eadem ratio est in metallicis medicamẽtis cõbustis, vt 3. per gen. c. 3. *illa enim ex ignis cõmercio nõnihil mordacis perseruãt, quod per lauationem deponũt, & lenia prorsus reddũtur.* & l. de Simpl. fac. vbi de Cadmia hæc: *Metallica quadã, vt Diphryges, Cadmia, & Pompholyx. peroptime abluenda; sic enim sine morsu exsiccant, & detergunt.*

Litbargyrũ. Argenti spumã abluendi modum ante oculos nobis ponit l. 1. de Cõpos. Medic. per genera c. 10. sic: *Porrò conuenit diligẽter tota die contritam cum liquore per noctẽ relinquere; postero die mane illam auferre, aliũ mox superinfundere. Postea rursũ terere, similiter; iterumq. sequenti aurora liquorẽ emittere; quod faciendum est, donec simul cũ humore Argenti spuma, veluti tenuissima quædã portio appareat, cũq. nihil amplius innatat, nihil etiã magis effundẽdũ erit. Attamen cõterere diebus plurimis, & si nihil ei insistat,*

ſiſtat, idq. Sole feruẽte ſatius eſt; ita enim accidit, vt medicamentum exſiccet valentius. Porrò nouerũt omnes id æſtate, non ſolùm in Argenti ſpuma, verùm etiam in alijs, quæ hoc modo præparantur, fore commodius: ſiquidem Cadmia, ideſt Tuthia, æris ſquama, æs vſtum, Diphryges, Ceruſſa, Miſy, Sory, Stimmi, & omnes lapides; præterea & calx, perinde vt Argenti ſpuma eluuntur, ac læuigantur. Hæc ibi. Interdum ex liquore aliquo ſubtiliſſima efficiuntur, veluti habemus 2. per genera c. 12. ſic: *Metallica plurib. dieb. aceto lõgè acerrimo cõterito, & potiùs in Sole, & nõ rarò loco caloris ex Sole ignẽ vtẽdũ: quãquã huiuſmodi omnia æſtiuo Sole molliora fiãt, multis dieb. trita, quædã ex vino, & quædã ex aceto.* Sed vt ſcribitur 4. per genera c. 7. *Subtiliora, quæ ex aceto, & ad cicatricẽ inducẽdã ex vino meliora.* Sit acetũ imperante Gal. 3. per genera, c. 3. *acerrimũ ex vino nõ auſtero cõfectũ, tenuiſſimũ, & vetuſtiſſimũ.* At non tãtùm aceto, & vino, ſed etiã aqua ſimplici, vel marina læuigare ea iubet l. 1. c. 18. ita: *Metallica quàm maximè in loco Soli expoſito cũ Aqua, vel Aceto, vel Vino, vel Marina læuigare oportet; etenim in vlceribus prætumidis* (ſed hæc ad Medicum) *& duris ex aceto, & marina; in quibus autem acre, ac mordax humidum*

fuerit,

fuerit, ex aqua terere frigida potiùs singula metalla necesse est, quemadmodum ex vino, cum copiosus humor influens appareat.

Adusta cur abluenda. Sunt omnia metallica adusta aqua abluenda, vt caliditas illa, quam ebullitione contraxerant, aboleatur, quod narratur 9. Simpl. c. 1. sic: *Sanè combustorum omniũ nullum planè est frigidum; relinquitur enim in illis ignitio quædam, vt Aristoteli placet, hæc autem per ablutionem aufertur; vnde id, quod manet, terrenum simul, & frigidum est.*

Metallica vigorosa præparanda Vigorosa Metallica, & sensum tactus exasperantia ex aceto conterenda veniũt, ne morsum infirmis inferãt partibus, hoc imperatur lib. 2. per genera cap. 2. ita: *Si quidem meminisse nos puto, & huius, quod toties repeto. Fortium medicamentorum, vt Ærugo, Misy, Chalcitis, Sory, Æris squama, vel Chalcanthum ex aceto diebus pluribus contritorum morsum obtũdi, & bonitatem augeri*; quem etiam cõpescere potest eorum ebullitio, & coctio, veluti 4. per genera c. 6. & 2. c. 2. ita narratur: *Nam quæ metalla præparas ad siccãdum sine vllo morsu, coquere diutiùs oportet.* Hęc omnia ante oculos Seplasiariorũ posita à nobis patefaciunt apertissimè modum abluendi, ac læuigandi metallica, necnon etiam omnia corpora dura, ac lapidosa: attamen paucissi-

cissimi illorum reperiũtur, qui talem methodum seruent. Quis enim sub Sole, vel non longè ab igne cõterit, & comminuit illa? Quis modo iã narrato abluit Lithargyrum? quæ extant duo potissima mandata ad medicamentorum obtũdendam mordicationem. Exemplo sit nobis Cadmia, quam Thutiam dicunt, quæ ab ipsis nõ abluitur, sed pistillo super cotem aqua pauca iniecta solùm crassiusculè conteritur, at nõn perfectè læuigatur. O miseros ægrotantes, ò deceptos Chirurgos: illi enim dum arbitrantur optata frui salute & isti illam introducere, magis in sæuit morbus à medicamentis asperis, atque mordacibus; quapropter affectus ille ingrauescens, non tantùm maiorem in modum excruciat ægrotantes, sed etiam in longum protrahitur, non pauca cum infamia Medicorum. Etiamsi superioribus verbis in medium attuli rationem omnia diluendi metallica medicamenta: attamen narrabo, modum Cadmiam abluendi à Dioscor. lib. 5. cap. 75. imperatum, & ab Albuc. Dioscor. verba hæc: *Lauatur trita in mortario effusa subinde aqua, dum sordidum nihil emergat; deinde coacta in pastillos reponitur.* Aliam viam docet Albuc. ita: *Accipe Cadmiam,*

Error aliquorum.

& tere crasso modo, deinde liga eam in panno crasso ex lino, quem submerge in aqua dulci, manibus frica, & repete hoc, donec dissoluatur, quod optimum erit; deinde proyciatur quod remanet in panno: postea misceatur aqua, & agitetur, quæ est in paropside cum Thutia, & illud proyciatur, quod est terreum, & sic sæpè faciendum, donec remaneat quod purum, quod pone sub Sole, & serua: sic abluitur Marchesita, Antimoniū, Cerussa, & Scoria. Alij optimè tritam in aquam proyciunt, quam benè exagitant, & coto spumam illam, vel pinguedinem supernatantem auferunt, & seruant; hoc Arabicè dicitur Alchesius, id est, clarum. Hæc ille.

Scoriæ ablutio. Scoria ferri quandoque aceto infunditur, sic iubentibus Medicis. Quod etiam habemus à Gal. lib. 9. Simpl. ita: *Si quidem ad læucrem rediges in aceto quàm acerrimo, posteaque decoquens vtor ea.* Prius tamen lima comminuatur, & aceto per septē dies infundatur, vt Serap. lib. de Antid. vel torrefacta, & aceto infusa per quatuordecim dies, vel vino odorifero multoties exstincta, veluti Auic. placet lib. 5. S. 1. Tract. 3.

Auri & argenti vsus. Si Auro, aut Argento indigemus, lima in minimas partes secāda veniūt, ac diuellenda. Præceptum Dioscor. lib. 6. dum de Argento, qui ait: *Auri limati scobs, id est,*

tamen-

ramentum quam tenuissimum epotum, mirabile est auxilium. Sic & Serap. Mes. verò subtilissimis eius foliis, aut bracteolis, vtitur, quæ nonnulli pistillo in cote cum Syr. de acido citri, vel alio liquore, vel citri succo diligentissime conterunt. Ab omnibus vituperatur modus læuigandi aurum ab Auic. cap. de confect. ex Hyacintho propositus; admiscet enim illi Lythargyrum.

De Lapidibus
Cap. XV.

SVNT *lapides corpora sponte nata, qui rigari non sustinent,* teste Gal. libr. 9. Simpl. Hi enim nec aqua humescunt, nec molles euadunt; addunt aliqui huic descriptioni, nec liquari calido, vel frigido, & natura frangibiles. Sed de his satis. At quoniam impossibile existit illis vti ad morbosas passiones curandas; cum sint crassarum partium, atque duri: ideo, vt ille scribit libr. 2. per genera, *omnia lapidosa, & dura in tenues partes terere oportet, & abluere*. Modum autem eos læuigandi, aperit lib. 9. Simpl. cap. de Lapidibus, dum de Hæmatite sermonem habet, sic:

Lapidum parandi modus.

Si in cote oculari eum teras cum aqua, donec mellis crassitiem acquirat. & capit. de Pyritæ hæc: *Ceterum lapides omnes, vbi in vsum vocantur, admodum vehementer contusi, atque ad læuorem redacti sint, oportet, similiter atque ea quæ in Ophtalmicas facultates admiscentur; etenim nisi pollinis instar comminuantur, adeo vt in profundum corporum, quibus applicantur, subeant, assimiles manent marinis, & fluuiatilibus arenis.* Eligatur Cos durissimus, ne, dum pistillo hi conteruntur, ac læuigantur, aliquid ipsius in medicamentum transmittatur. Dioscorid. etiam nonnullos ad cotem comminuebat, & ipsos soluebat, vt capit. de Judaico lapide, & aliis in locis scribitur, quod etiam narratur à Galen. capit. de Schisto sic: *Hæmatites, Schistos, Galactites, & Melitites in succum soluuntur, qui ad cotem, aut ad mortarium attriti sint.* & alii lapides, vt qui in Ægypto nascuntur; Utebantur illi prisci ad varios morbos fugandos, & inter ipsos Dioscorid. Lapidibus, atque lapillis pretiosis liquatis, & desumptis; cum vires à se edant, teste Galeno capit. proprio, *partim secundum totius substantiæ proprietatem, & partim secundum qualitates effectrices.*

Sunt

Sunt eodem modo omnes lapilli pretiosi comminuendi, sicuti & cæteri lapides, qui aut in cote, aut in mortariis teruntur, vt 9. Simpl. Docuit modum illos læuigandi Auic. li. 5. S. 1. dicens: *Hyacinthi, Granatæ, Iaspis ponantur in instrumento terendi, & incipiatur commotio cum facilitate; deinde ponantur in tabula, & præparetur super eam ad terendum, & fiat puluis minutissimus.* Hoc pacto & reliqui parentur, superinfundatur sæpe, dum læuigantur, aut aqua rosarum, aut è floribus citri: deinde in pastillos cogantur.

Lapillorum preciosorum præpar.

De Terra, & eius ablutione, & adustione Cap. XVI.

TERRAM decreuit Galen. 9. Simp. *à Latinis vocari, quæ aqua iniecta, statim soluitur, & fit lutum. Huius, quam homines ad culturam elaborant, duæ sunt differentiæ. Vna enim est pinguis, viscosa, & colore atra. Altera friabilis, & coloris expers, & quoquo modo candidior.* Hæc autem sæpe adiunctis quibusdam specie inter se differunt, teste Diosc. li. 5. cap. 161.

Abluuntur, atque macerantur largæ aquæ affusione, vt omne illud, quod arenosum, ac lapidosum est, subsistat, & terra exacte supernatet. Tale quiddam

& in Lemnia terra visitur, quam cognominant quidam Milton Lemnium, & alij Sigillum Lemnium; si quidem hanc terram Sacerdos cum quodam honore sumens in urbem comportat; quam deinde aqua maceratam, & in lutum redactam, vbi valenter conturbauit, paulatimque inde quiescere sinit, aquam, quæ supernatat, primum aufert, & mox quod sub ea pingue terræ tollit: at reliquum duntaxat, quod ad imum subsedit, lapidosum scilicet, & arenosum relinquit, vt inutile. Porro lutum illud pingue desiccat, dum mollis ceræ consistentiam accipiat, & sacrum Dianæ signum imprimit, & postea in vmbra siccandum reponit. Secundum hanc viam, vt paulò inferius legitur, omnis alia terra abluitur. Aqua autem, qua maceratur, nullam habeat medicamentosæ qualitatis suspicionem. Interdum aliqua prius aduritur, & deinde abluitur. Hæc omnia Gal. qui tantæ fuit cupiditatis adinueniendi perfectam terram Lemniam, vt nauigauerit in Lemnum Insulam, non alia de causa, vt Dii norunt.

Terræ Lemniæ depurandæ via.

De his, quæ ab Animalibus, aut eorum partibus, aut superfluitatibus desumuntur

Cap. XVII.

DESERVIVNT cupido sanitatis in-

producendæ Medico non tantum Plantæ, Terra, omnia Metallica, Mare, & quæ in eius algoso sinu seruantur: sed etiam omnia Animalia, quæ hunc mundum inferiorem exornant: quorum quædam interdum integra desumere iubet; & non rarò aliquam eorum partem; & quandoque eorum tegumenta, & inuolucra, sed quod est abominandum, & vituperandum, superfluitates in eorum corporibus genitas, & concretas, nec non etiam varia eorum excrementa. Cognouit hæc omnia Galenus libr. 10. Simpl. Med. quæ ibi proponit, & dum de nonnullis nauseam in narrando mouentibus hæc: *Siquidem quædam detestanda sunt, & quædam legibus vetita, de quibus haud scio quo pacto scribere licuit Xenocrati, homini non olim nato, sed proauorum nostrorum sæculo, cum Imperium Romanum hominibus vesci vetuisset. Atque ille sanè tanquam ipsemet fuerit expertus, magna profecto fiducia scribit, quosnam affectus curare valeat comesum cerebrum, aut carnes, aut iecur humanum, quos autem capitis ossa, suræ, & digitorum, partim vsta, partim vstionem non expertia, & quos sanguis. Sed hæc sanè tametsi contra leges; non tamen sunt fœda, & abominanda, at potio sudoris, aut vrinæ,*

aut mensium mulieris, abominanda, & detestāda, atq; horū in primis stercus, quod tamen scribit Xenocrates in ventrem deuoueretur, qui seminis vsum, & geniturae probauit. Sed redeamus, vnde digressi sumus.

Animalia integra, quae vsu veniunt apud Medicos, sunt Cantharides, Cancri, Hirundines, Vermes, seu terrae, vt aliqui dicunt, intestina, & alia multa, quae breuitatis causa omitto; non pauca, quorum ante eorum vsum aliqua egent praeparatione, veluti Cantharides, Cancri, ac Hirundines.

Cantharidum praeparatio.

Cantharides, narrante Dioscoride capite proprio, *è frumentis congestae ad recondendum idoneae sunt, quae fictili vase non picato conduntur, & raro linteo obligato ore, & deorsum conuerso suspenduntur super feruentis aceti acerrimi halitum, donec aestu exanimētur: postea lino transfixae reponuntur.* Potentissimae, quae variae, luteis lineis, crassae & praepingues. Aliqui alis, &

Error aliquorum.

pedibus illas priuant, at Galenus capite proprio totas probat, ac integras.

Cancrorum vstio.

Cancri ante eorum vsum aduruntur; scribit modum eos adurendi, & tempus Galenus, impulsore tamen eius cōciui, & Praeceptore, cuius verba sunt: *Patella aeris rubri, in quam impositos cancros viuentes hactenus*

hactenus vssit, dum facile ad læuorem redigi possint, vrebat illos post ortũ Canis, quando Sol in leonem transisset, non nisi Luna decima octaua.

Hirundines comburendi rationem nobis reliquit scriptam Asclepiades, referente Galeno lib. 6. secundum locos sic: *Pullos sale conspersos vna cum pennis in fictile conijcimus, obturatumque prunis imponimus.* Non ponit autem eorum recrementa, etsi alij vna cum illis hirundines comburant, & aliqui recrementa tantum. *Hirundinum combustio.*

Partes, quibus Medicus vtitur, sunt variæ, vt Pinguedo, Adeps, Medulla, Caro, Testes, Pulmo, Iecur, Intestina, Scincorum renes, Serum, Cranium, Ossa, Dentes, Vngues, Cornua; & inuolucra ab ipsis fabrefacta, vt Sericum, & quæ mare prolificum alit, & auget, veluti Ostrearum, Buccinorum, & Purpurarum testa, adhæc & Margaritæ, & Spongia, aliaque multa, quæ silentio prætermittenda statui. Nonnulla circa quædam, quæ præparari solent, vt accommodata sint, narrare decreui, quorum aliqua proprie loquendo partes non existunt, interim tamen à vobis admittantur inter partes enumerari.

Sunt Pinguedines, Adeps, Medulla, &

Pinguedinis, & adipis conseruandi modus.

omne pingue corpus à membranulis, & à fibris hæc omnia intertexentibus mundanda; quæ leguntur libr. 3. secundum loc. c. 2. sic, dum de adipe suillo: *A fibris depuratum.* quod etiam præcipit Dioscor. libr. 2. cap. 86. Modum seruandi medullam, & adipem per aliquod tempus nos docuit Galen. libr. 11. Simpl. vbi de medulla ita: *Sed ea est mihi vtriusque cura, ne putresiat. Itaque in hieme capio medullas, veluti & adipem; deinde in ædibus siccis, atque editis, plane humoris expertibus cum foliis lauri siccis repono. At si quando ambiente calido, & austrino medullam, & adipem voles reponere, paratum sit in hoc cubiculum, neque admodum calidum, qualia fere sunt, quæ meridiem spectant; sed supernum, & excelsum, & ad aquilonem obuersum, habens fenestras paruas apertas, & tam nocte, quã die spirantes ventos accipiat.*

At Dioscor. rationem talia conseruandi per longum temporis tractum posteritati reliquit, dicens, dum agit de adipe anserino lib. 2. cap. 86. ad cuius exemplum ceteræ pinguedines à nobis seruandæ veniunt: *Recens exemptis membranis in ollam demittas, quæ altero tantopore capacior sit, quantus sit modus adipis, quem curare institueris, obstricto diligenter vase, flagrantissimo*

tissimo Soli exponitur; eliquescens inde humor in fictile alterum excolatur, donec omnis adeps absumatur; Mox loco vehementer frigido reconditur, & ad vsum digeritur. Alii (memoria custodite Antiquorum diligentiam impatientes, & indociles Seplasiarii) *fictile fulciunt super aquam calidam, aut tenuem, & elanguidam prunam, quæ Solis vicem penset.* At vos ardentissimo igne, vase ferreo non raro crepitantes pinguedines fere aduritis, & non liquatis. A nonnullis, vt ibi scribitur, teritur, in olla eliquatur, & colatur. Antequam liquescant, illo iubente variis in locis, abluantur, & confricentur, vt peroptime à sorde, & ab omni spurcitia defœcentur, qui decreuit aliquas vino, aut aqua coquendas esse. Aliquando diligentissime diluuntur, de quibus cap. de Ablutione agemus. *Error Sepl.*

Pulmo, vt vulpis, equi lien, lupi iecur, & eius intestina, subdita ventriculo galli membrana, testes, & similia, sunt prius vino abluenda; deinde integra, aut in frusta dissecta in clibano non admodum æstuanti exsiccanda; vel sic recentib. ablutis vtẽdum, vt passerum salaciũ cerebella. *Pulmo quomodo seruandus & Iecur, & Intestina, & Cerebellum*

Non raro pro sanandis infirmis à Medicis Serum vsurpatur, quod inter anima- *Serum.*

lis par-

lis partes etiam à nonnullis enumeratur. probat Mes. cap. de Sero, *quod est lactis caprarum, nimirum nigrarum, bonis pabulis nutritarum, recens fœtarum: tale sit recens, iucundi odoris, & saporis, & sui non alieni, & non corruptum.* At multi Seplasiarij, vt eorum est mos, neglectis omnibus Mes. mandatis, quodcunque lac caprillum sumunt: sed quid dico, immo quamcunque serosam substantiam, quæ à lacte ouillo, caprino, & bubulo, sæpe simul cōfusis elicitur; aut exprimitur à pastoribus, dum in varios lobulos lac coagulatum effingitur ab ipsis. Quid inhumanius? Tantum enim abest, vt ab hoc infelices ægrotantes ardenti siti excruciati refrigerentur, vt potius ab igneo coaguli calore, quo lac in vnum cogitur, adurantur. Naturam coaguli esse talem, reliquit scriptum Aristot. libr. 3. de Histor. anim. cap. 21. sic: *Est ergo coagulum lac ignem habens intra sese.* Quod quidem Serum omnino impurum, iniucundi vt plurimum saporis, & odoris, & non rarò acidum, aut quoquo modo putredine contaminatum ab ipsis probatur, & non vili pecunia venditur, maximo cum detrimento ægrotantium. At si fortè illud distribuendi occasio illis non occurrat, sic vitiosum destillatione

Seri delectus.

Multi Sepl. errore..

parant,

parant, & seruant. An non sunt hæc errata grauissima pœna digna?

Cranium, Ossa varia, Dentes, & alia similia, lima subtilissime comminuantur, aut cote oculari læuigentur; corpora enim dura, & terrestria, vt in altum corporis se extendant, diligentissima indigent læuigatione, vt 2. per genera capit. 15. narratur.

Cornu autem Ceruinum aduritur, iubente Dioscor. libr. 2. cap. 63. hoc pacto: *Cerui cornu contusum crudo fictili luto circumlinito: & in furnum indito, vritur, donec albescat; deinde Cadmiæ modo eluitur, sic & Talus suillus, & Ebur.* *Cornu Cerui quomodo aduratur.*

Testa Buccinorum, Purpurarum, & Ostreorum, quandoquidem durissima est, nunquam absque vstione vtor. Ceterum ad vnguem ea læuigare, planeq; pollinis in modum necesse est, tundendo scil. & cribrando prius: quæ postea, si occasio postulabit, abluenda. hæc 11. Simpl. Galen. *Cremantur Purpurarum tomenta*, Dioscoride imperante *vt Cornu ceruinum.* *Buccina, purpuræ, & alia quomodo adurantur.*

Margaritæ terantur subtilissime, & tenui cribrentur panno, postea, in cote liquore affuso læuigentur, vt Haly libr. 10. cap. 22. & Auic. iubent. *Margaritarum præparatio.*

Excrementa nonnulla animalium apud *Excremēta* Pharma-

quo pacto seruentur. Pharmacopœos seruari debent, intet hæc quædam Fella, & Coagula. Fel omne sic *Fel conseruandi modus.* seruatur, vt Diosc. placet lib. 2. c. 89. *Recens præligato ore folliculi lino demissum in feruentem aquam, spatio, quo quis stadia tria percursaret; mox exsiccatur vmbroso loco asperginem non redolente. Sed quod ad oculorum medicamenta adijci solet, ligatum vino in vas vitreum, quod mel habeat, immittitur, circumuoluto ad os vasis lini principio, & operto vase reconditur*

Coagula. Coagula omnia à putredine vendicādi viam Albuc. instituit his verbis: *Accipe coagula animalium, dum sunt recenter mortua, postquam iugulaueris, & inuolue ea sale, & suspende ad Solem, & serua.*

De Decoctione & Ebullitione Cap. XVIII.

Decoctio, & Attritus omnia inalterat. IAM ferè in limine libri proposuimus ad Pharmaça componenda hæc duo maxime esse necessaria, Decoctionem, & Attritum; his enim aut simplicium vires, aut eorum corpora, & facultates inter se exactè, & ad minima confunduntur, ac permiscentur, quod cognouit Mes. in Canon. dicens: *Coctio facultates medicamentorum diuersas omnium optime permiscet, vt ex*

vt ex his omnibus vna resultet; calor enim aut ab igne in liquoribus excitatus, aut à vectibus, seu pistillis, qui in tenuissimas partes illa comminuunt perfectam mistionem, quæ ab arte fieri conceditur, proritat, atque gignit.

Multæ ab omnib. cēsentur esse elixationis causę (nō est enim elixatio aliud, quam in humido alicuius decoctio, teste Mes. in Can.) ob quas decoctiones, & ebullitiones à Medicis imperantur: nam aliquando quædam decoquuntur, vt tenella euadant; quorum nonnulla per cribrum traijciuntur, vt à partibus crassioribus, vel impuris expurgentur: Alia, vt eorum facultates impertiant liquoribus, quibus ebulliunt: Aliqua, vt quandam simul vnita crassitiem, quam consistentiam dicunt, acquirant: Nonnulla, vt peroptimè simul misceantur, & corrigantur, vt Mesue: At alia ob alios scopos, quos breuitati studens omitto. *Elixationis fines.*

Dicam igitur quinque esse consideratione digna circa Decoctionem, ac Ebullitionem minime prætermittenda, vt perfectæ euadant. Hæc exstant, Natura illius, quod decoquendum venit; Aqua, in qua decoquitur, siue alius liquor; Calor decoquens; Terminus decoctionis, aut ebulli- *Circa decoctionem quinque consideranda.*

ebullitionis; & Vasa, quibus hæc celebratur actio.

Quæ longam ferunt co-cturam, & quæ breuem.

Ob naturam rerum decoquibilium variam, atque diuersam, longiorem, aut breuiorem esse decoctionem nemini est obscurum: quod etiam nobis reliquit scriptum Mes. in Canon. dicens: *Coctionem non sustinent omnia æqualem; sed quædam debilem, & alia valentem. Quorum enim virtus facile resoluitur, quia vel imbecilla est, vel in superficie est posita, vel in subiecto raro, omnia huiusmodi parum diu, nec valenter coquenda sunt; eorum enim virtus immodica coctione destruitur, vel resoluitur: Talia sunt Semina quattuor frigida maiora, Adiantum album, Epithymum, violæ, & Flores prope reliqui. Contrario modo affecta medicamenta diu coquenda sunt, vt omnia crassæ essentiæ, & acria, nisi virtutem habeant imbecillam, & superficiariam. Purgantia omnia humiditate multa, aut lubricando, vel nihil, vel minimum. Et dum varia, atque multa debent vnà ebullire, imbecilliora minus, vegeta verò magis coquenda.* Galen. quoq; decreuit 3. de Alim. facult. *corpora mollia facilius coqui, quam dura: illa enim promptius, atque citius à calore inalterantur.* Nec aromata longam ferunt cocturam, si credendum Gal. 6. de

Aromata longam non ferunt coctionem.

Comp.

Comp. per loc. cap. 1. sic docenti: *Amplior coctura destruit facultatē aromatum; Crocus enim & Myrrha, multaque alia aromata in decoquendo amittunt vires.* Sic vt plurimum odorata omnia; si enim credendum est Aetio, tenui substantia sunt insignita; quoniam à terrestri substantia, docente Galen. 4. Simpl. ca. 22. paucum est, quod defluit: vnde ca. 23. hæc leguntur: *At quæ odorata sunt, tenuia vtiq; sunt, quadamtenus & calida.* Concludamus igitur, vt finem imponam, omnia dura, densa, & fibrosa difficile decoqui; à calore enim ægre permutantur: At tenuia, rara, & leuia facillime ab ipso alterantur, & foras eorum educuntur vires.

In decocto quis ordo seruandus.

Sit igitur, vt Mes. sequamur mandata, & rationibus iam dictis acquiescamus, in parandis Decoctis, quæ multa simplicia recipiunt inter se diuersa, talis ordo seruandus. Prius radices in aquam dulcem, & calidam iniiciantur peroptime purgatæ, & in frustula dissectæ: quo tempore, vel paulo ante frumentaces, vt hordeum, imponantur, panno prius detersa: deinde fructus à nucleis mundati, aut cultro plagati: postea semina: deinde folia: & tandem flores. Sed circa hæc

quædam

quædam à Seplasiarijs seruanda veniunt; quæ quoquo modo videntur primo intuitu ordinem iam propositum interturbare, atque peruertere, quod tamen est falsum, si memoria custodiantur illa, quę superioribus verbis narrauimus. *Primum præceptum.* Et primò radices tenues, exiles, & odoratæ, vt Asari, quod aliqui, teste Dioscorid. Nardum siluestre appellant, cum foliis ad decoquendum iniiciantur. *Secundum.* Sic & aromata omnia, siue radices, siue cortices, siue ligna, siue fructus, leuem coctionem ferunt, vt vult Mes. *Tertium.* Inter fructus Myrobalani, à quibus nuclei pistilli ictu sint educti tempore herbarum, & foliorum; eorum enim coctio destruit facultatē purgantem, narrante Mes. vnde decoctum redditur adstringens. Attamen cum floribus minime imponendi; cum enim sint exsiccatæ, & duræ, aliquo indigent tempore, vt humiditas vna cum calore ipsas permeet. *Quartum.* Semina quattuor frigida maiora vna cum floribus, & inter herbas Adiantum, & Epithymum. *Quintum.* Semina verò lentorem, atq; viscedinem in se continentia, potius vna cum radicibus; cum eorū virtus difficile dissolui possit. *Viscida, & lenta quandò coquēda.* Sed quoniam interdum viscidum efficiunt decoctum,

quod

uod ab infirmis reſpuitur, atque damna-
ur; tempore, quo ſemina decoquantur,
el aliquo panno inuoluantur, qui inter-
um baculis duobus vtrinq; poſitis com-
rimatur, vt minor viſcedinis copia in de-
octum diffundatur, Meſ. mandatum,
um exoptamus mitiorem deferri facul-
atem medicamentorum. At ſi ægri hoc
on vetent, ebulliant cum radicibus, vt *Error aliquorum.*
ſcoſum euadat decoctum: talis enim eſt
opus illius Scriptoris, qui tale Pharma-
um compoſuit. Hoc idem ſeruandum *Glycyrrhiza quando ebullienda.*
xiſtit circa Glycyrrhizæ radicem, quæ
im ſit denſa, ac lenta ſubſtãtia donata, &
ucco lento prædita, ſimul cum aliis radi-
bus ebullienda erit. Sed quoniam inſua-
e efficitur decoctum, ac turbatum, &
bſcurum, ſi diu coquatur; idcirco cum
minibus ebullienda erit. Præterea o- *Sextum. Purgantia quando imponenda.*
nia ferè purgantia, ſiue radices, ſiue
rtices, ſiue ſucci, aut lacrimæ, aut fru-
us, aut ſemina, vt Agaricus, Turpe-
um, Colocynthis, Hermodactyli,
ſimilia, cum ſeminibus bulliant. Vel
ec, vt variis in decoctis imperat Meſ.
ter quæ, & Rhabarbarum, & cor-
ces radicum Hellebori, cùm ab igne
ecoctum remouetur, per ſpacium quat-
uor, aut quinque horarum macerentur.

E Scam-

Scammonium autem, & Aloe decocto addantur, cùm tepescit. At rarò decocta sola hoc recipiunt. Lenientia, vt Manna, Cassiæ, ac Tamarindorum pulpa, post omnium decoctionem illa iam tepefacta, vel duabus tantùm ebullitionibus feruefiant, vt Mes. suadet. Et hæc omnia à placitis illustrium Virorum, qui vetusto seculo medicinam faciebant, desumpta sunt. Erit itaque ab illis, quæ difficiliùs, seruatis tamen antedictis, à calore aquæ inalterantur, inchoandum, proportione quadam seruata; si enim decoctum nec grana, nec radices, nec ligna recipiat, à fructibus; si nec hos, à seminibus; si nec hæc à foliis; vel tandem solùm flores ebulliendi erunt. Sed nec eadem quantitate aquæ, nec ad eundem terminum: duriora enim, & crassiora ceteris aliis, vt radices, maiorem copiam aquæ expostulant, vt eorum vires in ipsam diffundantur, & ideo non erit alienum à ratione, ebullire illas ad consumptionem duarum partium. Fructus, & Semina, si odorata non existunt, paulò minùs; Folia ad dimidium circiter; Flores, si solitarii, ad quartæ partis exhalationem; & Aromata ad tertiæ partis. Hæc autem proportione desumpta à duriori agantur. At si for-

Septimum. Lenientia, quãdo in decocta ponẽda

Aquæ quantitas in decoctis àquibus sumatur.

Terminus ebullitionis qui.

tè

e fortuna sententia alicuius grauis Scriptoris his aduersetur, procul omni dubio eius mandata exequenda erunt; quoniam pro firmo, atque rato est habendum, aliquo fine Seplasiariis ignoto hoc instituisse.

At non ab omnibus insignibus Medicis illa iam dicta seruantur, nec interdum ab ipso Mes. huius methodi Magistro: multi enim eorum omnia eodem tempore in aquam iniicere imperant, ac macerare, quæ postea simul ebullire faciunt: sicut Serap. lib. de Antid. qui interdum infundit omnia per diem, & noctem, quæ prius, vt variis in locis ab ipso scribitur, frangenda, incidenda, dilaceranda, & contundenda veniunt. Hunc ordinẽ etiã nos docuit Haly lib. 10. Pract. vbi de Syr. vt in Syr. Candaui, & aliis in locis, & maximè vbi de decoctis, in quib. varia genera simpliciũ continentur, quorum quædam longam possunt ferre coctionem, quædam mediocrem, & quædam leuissimam. Sic & Auic. vbi de decoctione Radicum. Non recedit ab hac methodo interdum Mes. vt in Syr. de Glycyrrhiza videre licet, qui omnia simul ebullit prius per diem, & noctem macerata, etiãsi Adiantum ingrediatur: Sic in illo Absin-

Ordo iam dictus à scriptoribus nõ semper seruatur, immo interturbatur, ac peruertitur.

thio, de Mentha, & in Decocto, quod paratur pro conficienda Tryphera Persica: Sic in decocto de Epithymo, cuius verba: *Omnia præter Epithymum coquantur in aquæ casei lib. tribus ad duarum librarum consumptionem; deinde addatur Epithymum.* Vnde intelligere licet in ceteris aliis simplicibus aliquem non seruasse ordinē: Attamen sunt varia diuersam coctionem expostulantia, & maximè Myrobalani, qui si diu coquantur, ipso teste cap. proprio tantùm abest vt soluant, vt potiùs aluum adstringant. Nonne & decoquit Cassiæ pulpam, Tamarindos, & Mannam cum aceto, saccharo, & aliis ad mellis crassitiem? cap. de Tryph. quod etiam imperat faciendum esse in confect. Hamech. Sic & Cassiam in Syr. de Fumoterræ. At fortè dicet aliquis hæc decoquebat paucis ebullitionibus, quod quidem ridiculum, nonne in Syrupo acetato Diarthodon infundit radices, & rosas in vi. lib. aquæ, & coquit ad consumptionem duarum partium? in Syr. de Absinthio ad dimidiū? in Oxymeli purganti, in quo macerat & purgantia ad dimidium? in Tryphera Persica ad consump. quinque librarum? Et si de aromatis, quæ debilem, ac paucam decoctionem sustinent, verba faciemus, nonne

nonne affirmabimus neglexisse omnino ordinem decoquendi, & naturam decoquibilium? cùm cap. de Pilulis Alephanginis, quas de Aromatis dicunt, multa aromata, & præterea & Rosas, & Schœnantum, & Spicam terat contritione crassa omnia, & fundat super ea aquæ lib. xii. & coquat ad consumptionem duarum partium. Multi negant aquæ esse libras duodecim, sed sex tantùm, quod tamen aduersatur illis, quæ in textu scribuntur. At supponamus esse solùm sex, nonne & per curriculum longum temporis ebullirent, si ad consumptionem quattuor librarum decoquenda veniunt? At posset dicere aliquis, & fortè impulsus ratione, seruandam esse methodum illam iam in medium allatam, cum varia simplicia decoquuntur nulla præcedenti infusione, aut maceratione; in his enim diuersæ illorum qualitates in vnum coeuntes seruari possunt, cùm illæ, quæ magis sunt terrestres, & viscedine aliqua insignitæ, prohibeant, ac vetent aliorum dissipationem, atque exhalationem. Et ideo non esset præter rationem decernere, Mesuem posuisse Mastichem in Decocto, quo fiunt Pilulæ Alephanginæ, vt eius lentor retineret facultates aroma-

Error aliquorum.

Infusa, & macerata lõgam non ferre coctionem

tum, ne dissiparentur. Sed suspicio non leuis me tenet, ita vt audeam pronunciare, vel saltem suspicari, macerationem illam non esse in causa, vt flores illi iam infusi longam sustineant ebullitionem; cum tenui extent præditi substantia: nec esse in causa, ne aromata priuentur ex aliqua parte propria facultate in diuturna illa ebullitione: & præterea ne Myrobalani diffundant stipticam, ac adstringentem suam virtutem ob longam decoctionem. Immo promptiùs, atque faciliùs euanescent iam infusorum virtutes, cùm à maceratione illæ transmissæ sint in liquores, vel saltem paucis ebullitionibus transmissuræ. Sed his in omnibus acquiescere omnino debemus sententiæ priscorum Medicorum, & eorum mandata, tamquam leges, exequi, & non, vt quidam Seplasiarii sibi persuadent, tantorum virorum placita castigare, atque corrigere. Attamen à nobis magis probatur primus modus decoquendi secundum naturam variam simplicium; dummodo non aduersetur alicuius medicamenti inuentori.

Aqua qualis.

Aqua, in qua decoquuntur, aut ebulliunt, aut feruescunt, aut macerantur simplicia, eligatur, teste Gal. *1.* de san.

tuen.

uen. cap. 11. *optima gustui, cuiuscumque qualitatis expers, sed potui iucundissima, & planè pura, quæ si præcordia celeriter transeat, nihil est, quòd magis idoneam requiras: Sit visui sincera, & perlucida, nec odoratui aliquam præ se ferat qualitatem.* vt 1. Simpl. Medic. facult. cap. 4. quæ omnia variis in locis repetit. At Hippocrates 5. aphor. 26. aquæ optimæ cognoscendi signum nobis reliquit his verbis: *Aquam, quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuissimam esse.* Et ideo & optimam; quoniam talis, si credendum est Galen. in Com. *nec turbida, nec cænosa, nec in gustu, nec in odoratu aliquam absurdam qualitatem præ se fert.* Optimæ extant illæ, quæ ex sublimibus locis, & terreis collibus; hæ enim & dulces sunt, & albæ, (id est perlucidæ) quæ si ab Oriente scateant, præ omnibus optimæ. Sunt præterea aquę pluuiales tenuissimæ, & splēdidissimę. Sol enim quod tenuissimum est, & leuissimū sursum rapit, sed citissimę putrescunt. Hæc Hip. lib. de Aere, Aq. & Loc. cap. 14. & 18. At quæ non admodum bonæ, meliores euadunt, si decoquantur, iubente Gal. 6. de Mor. vulg. Com. 4. c. 30. crassiores enim partes separantur à subtilioribus, & frigiditas

Aqua coctione melior fit

excedens à calore, vt eſt excedens, remittitur, vt docet nos Auic. cap. de Aqua. Sit eius quantitas in decoctionibus parandis, quæ à Scriptoribus præfigitur: At ſi in deſcriptionibus ab illis non ſit aliqua determinata quantitas, deſumatur aut à quantitate ſacchari, vel mellis, aut à natura decoquibilium; maiorem enim quantitatem requirunt quæcunque dura ſunt, vt radices, ligna, frumentacea, & fructus, quàm ſemina; & hæc maiorem, quàm folia, & flores: & inter hæc quædam maiorem, & quædam minorem deſiderant. Aliqui tantùm aquam, aut liquorem deſumere inſtituũt, quãta omnia illa ſubmergere, & operire poteſt, ita vt abundè ſuperferatur: Nonnulli pro ſingula libra ſeminum, aut radicum, quattuor libras aquæ imponunt, pro quattuor manipulis herbarum exſiccatarum libras duas aquę, ſed viridium vnam tantùm. Attamen hoc non ſeruatur à Meſ. Interdum enim pauca in multa aqua ebullire iubet, & non rarò multa in pauca, vt in Decoctis videre licet, ſic vt in Syrup. de Fumaria, quo loco decoquit vncias duas Myrobalanorum flauarum, & Violarum, & Roſarum, & Abſinthi ana vnciam vnam, quæ omnia pendent vncias quinque, in decem libris

Aquæ quantitas in decoctis quæ.

oris aquæ: Et in Syr. de Glycyrrhiza vnciās duas Glycyrrhizæ, Capil. Vener. vnciam vnam, & Hyssopi sicci vnciam dimidiam, in quattuor libris aquæ. Et vbi de Oximelle de Radicibus vncias tantùm septem radicum, & seminum decoquere imperat in decem libris aceti, & viginti aquæ: At in Decocto Capil. Veneris, quod recipit saltem decem vncias simplicium, & multum occupantium locum, tres aquæ libras instituit. Sic in decocto Myrobalanorum, & in Decocto Epithymi ponit libras tres seri, & ceterorum septem circiter vncias. Hæc omnia denotant omnino incertam esse aquæ quantitatem, etiamsi inter hæc omnia quibus dicta conficiuntur Decocta, quò ad substantiæ densitatem, & crassitiem, vel tenuitatem, & raritatem paruum sit discrimen: semper attamen illis, quibus Syrupi parantur, est memoria custodiendum tantam eorum superesse quantitatem, quanta requiritur pro qualibet lib. sacchari; notum est autem omnibus ferè semper maiorem esse quantitatem succi, aut decocti, quàm sacchari. Sit aqua, vel liquor, quo simplicia decoquuntur, feruens, vt Serap. lib. de Antid. & Actuar. lib. de Comp. Med.

Termi-

Terminus Decoctionis, aut ebullitionis ita varius apud ſeniores Medicos adinuenitur, vt perquam arduum ſit verum & exquiſitum pręſcribere; nam Damocrates radices Filicis, & aromata ad exhalationem dimidii decoquebat, referente Gal. 7. per loc. c. 2. Quam ſententiam ſequuti ſunt multi, vt Haly lib. 10. cap. 23. & Paul. qui non rarò ad medietatem. ſic & Aet. Ser. tertio, & Actuar. lib. de comp. Med. & rarò ad tertias. At Galenus & propria voluntate impulſus, & aliorum, ad conſumptionem interdum tertiæ partis imperat decoquendum eſſe, ſicuti legitur lib. 9. per locos c. 1. vbi de medicamento ad Hydropem ex Archigene, & cap. 4. ex Aſclepiade. Et 2. per genera. c. 17. In acetum iniecta ad tertiam coquimus. Sic in Emplaſtro ex Salicibus lib. 5. ita: *Radices in ſex Sextarijs aceti coquantur, donec relicti ſint duo.* At lib. 8. ſecundum locos cap. 2. vtitur his verbis: *Vini cyathos tres coquito ad tertias, vt vnus cyathus ſuperſit, & totum præbeto.* Et hanc decoctionem vocat ad tertias, in qua ex tribus partibus duæ abſumuntur, quod pluribus aliis in locis cōfirmat. Et hoc genere decoquendi ferè ſemper ebullire ſimplicia decreuit ille, quod etiam inſtituit Rhaſis in ſuo Antid.

&

& Paul. lib. 7. sæpe, atque sæpe, sicut etiam Mes. vt in Decoctis apertissimè videre licet, qui tamen & interdum ad dimidium. Ad exhalationem igitur duarum partium liquores, & aquam ebullire vt plurimum statuunt; etiamsi multi quoque ad dimidium, & quandoque, sicut omnes Seniores, ad illum terminum, quo simplicium natura sit liquori distributa; quæ fortè respiciens Gal. 7. per loc. vbi de Confect. capitum Papaueris hæc pronũciauit: *Terminus coctura sit, non vt tertia, aut quarta, aut aliqua talis pars aquæ fuerit consumpta: sed cum flaccida fuerint capita Papaueris.* Et Rhasis ille experimentator lib. iam supradicto c. 1. statuit terminum esse, cùm simplicia manent sapore priuata; à quorum placitis fit manifestum legentibus, terminum firmum decoctionis, quò ad aquæ consumptionem, esse admodum incertum. Et hoc ratione; diuersa enim & varia sunt insignita natura decoquibilia. Statuerem igitur, dummodo contrarium Scriptores in suis compositionibus non affirmẽt, ligna, radices, fructus, & quæcũque substantia dura, ac densa sunt donata, ebullienda esse ad exhalationem duarum partium: sic semina quædam, & frumentacea.
Non-

Nonnulla tamen ſemina odorata, & tenui ſubſtantia ad dimidium: ſicuti etiam & folia, dummodo non ſint recentia. Flores verò, maximè ſi admodum tenelli, & exiles, ad conſumptionem circiter tertiæ, & interdum quartæ partis tantùm. Sed meliùs erit, iubente Gal. illos macerare. At in Decoctis, quę varia in ſe recipiũt, deſumatur terminus totius coctura à denſiori, atque duriori; vt à radicibus, & fructibus, cùm molles fiunt; à ſeminibus cùm diſrumpuntur; à foliis, & floribus, & quibuſdam ſeminibus, cùm ſatis macerata.

Dum fit ebullitio, aut decoctio, ſpumam perpetuò auferendam eſſe, & poſtea exprimenda decocta, & colo traiicienda imperarunt Meſ. maximè cap. de Pilulis Alephãginis, & Haly, c.23. Et vigorosè, vt Serapioni placet in Antid. Colentur fiſcis, aut ſacculis, teſte Actuario lib. de Comp. Med. vt à recrementis expurgentur. At cum varia Decoctorum ſint genera, conſonum eſt rationi, varia etiam adinuenire inſtrumenta, ſiue cola, quibus illa transfundantur: quoniam non rarò, pręcipuè cùm præcedit ebullitionem maceratio, manet in ipſa aqua, aut liquore aliqua portio, etſi tenuis, illorum ſimplicium,

Coli diuerſitas.

rium, quod dedita opera à Medicis illis ctum fuit. Quapropter coloraro, iubente Mes. cap. de Melicrato, expurganda erunt, & eo magis, si pulpam Cassiæ, aut Tamarindos, aut fructus recipiant. At illa, quæ crassioribus excrementis abundant, sacculis densis, & multis expurganda erunt. Vtebatur Athenæus, referente Oribasio lib. 5. ad aquam cœnosam depurandam triplici genere coli: *Primò, videlicet simplicibus, interdum duplicibus, & interdum triplicibus.* Quæ omnia fortè didicit ab ipso Albucasi, cuius verba: *Oportet quod habeas tria colatoria ad colanda Decocta, & Potiones. Primum sit minus, quàm secundum, & pannus sit rarior. Secundum sit maius primo, & pannus spissior. Tertium verò sit maius secundo, & pannus adhuc spissior.*

Decoquuntur procul omni dubio omnia, quæ coquuntur, calore, qui aut ab igne suscitatur, aut à Solis producitur micantibus radiis. Qui tamen calor gradu quodam hoc opus efficit; nam si modum excedat interdum non coquit, sed violentia quadam ferè consumit simplicium vires, & interdum in aliam naturam transmutat: At si admodum imbecillis, & languens erit ebullitionem exci- *Mesue in Can.*

excitare non potest, vel vires medicamentorum ęgrè foras educit. &ideo iussit Haly lib. 10. coquenda esse simplicia mediocri, & moderato calore; quod confirmauit & Serap. lib. de Antid. vnde Mes. ferè semper hæc pronunciat verba: *Lentò coquantur igne; aut exigua flamma, aut cum facilitate.* quæ peroptimè cognouit Gal. lib. 7. de Comp. Med. per loc. c. 2 dum ante oculos ponit quasdam conditiones

Ignis condit. ignis, quo Decocta parantur, sic: *Coquitur ad mollem, & non fumantem ignem: ego ad prunas adhuc neque ardentes cocturam facio*; & ideo fugiendus fumus, in quantum possibile, circa pharmacorum præparationem. Quæ etiam narrantur à Mesue, potissimum in capite de Syr. acetato, ita: *Sit ignis, quo coquitur, prunarum, aut tenuis flamma sine fumo.* Et præcipuè hoc genere ignis decoquenda, quæ tenuium sunt partium, etsi, teste Galeno, illa omnia exequenda veniant ad quæcumque Pharmaca conficienda: Et ideo multi Priscorum ad euitanda illa; quæ interdum ab igne æstuanti, atque ardenti euenire solent, duplici vase etiam vnguenta parabant, vt paulò inferius narrabimus.

Vasa quæ. Vasa, quibus feruescant, ac ebulliant simplicia medicamenta, necnon etiam

Succi,

ucci, Serapia, Electaria, & cetera Pharmacorum genera, sint omnino, quoad fieri potest, cuiuscumque malæ qualitatis expertia; talia à me censentur, quæ fictilia vocantur; quoniam ab his nulla communicatur qualitas decoquendis medicamentis: maximè si illa fuerint aut acida, aut acria, aut salsa, aut vinosa; aut in se contineant aliquam detergendi facultatem; ab his enim aliqua vasis portiuncula abraditur, quæ vnà cum prava eius qualitate toti Decocto distribuitur. Ad quæ fugienda decoquebat Mesue; vt variis in locis patet, vase vitreato, aut lapideo: quod à Medicis vetustioribus obseruatum fuit, qui Emplastra quoque in olla decoquebant, ne à vasis aliqua mala qualitate contaminentur, sicuti scribitur 6. per genera. cap. 1. Vnde vt hoc euitarent, variis in vasis medicamenta seruabant, exceptis æreis, vt infra patefaciam. At Arabes si vase vitreato coquere non possunt, saltem vase stanno obducto hoc agunt: Vnde Haly 10. Pract. capit. 19. sic. *Olea aut fictili, aut vitreato, aut stannato decoquantur.* & Mesue Vnguentum de Arthanita vase vitreo; & Vnguentum Palmeum in vase stannato decoquit.

Sed

Error multorum.

Sed Seplasiarii nostri ferè omnes, nescio, an ignorantia, vel negligētia, vel pertinacia, vel ignauia, vel auaritia impulsi, ebulliunt indiscriminatim quoscumq; liquores in vasis æreis, quæ vasa ego istis oculis sæpe vidi à succis, & à decoctis detersa, ac nitida facta fuisse, quę antea satis immunda, & spurca conspiciebantur. Aliud genus decoquendi aliqua adinuenit Galen. vt fructus, quod fit euaporatione tali modo: suspenduntur filo fructus aliquo in vase aqua feruenti, & ebulliente semipleno, ita ne aquam tangant; sed vapores illi calidi, atque humidi ipsos petant, à quibus tamdem tenelli, cocti, & tumidi fiunt, & euadunt.

Simplicia longam, aut breuem ferē sia coctionē.

Sed quoniam multi exstant Myropolæ, & pueri illis deseruientes, qui omnino ignorant qualia sint Simplicia illa, quæ aut longam, aut mediocrem, aut paucam sustinent ebullitionem, non grauabor nonnulla eorum in medium afferre; etiamsi multi decernant inter recentiores, omnia illa, quæ difficilè teruntur, difficilè etiam decoqui, & quæ facilè, paucis indigere ebullitionibus: quæ, si experientiæ est credendum, in multis, atque multis sunt falsa; quoniam multi flores difficillimè teri possunt, vt Chamæmeli,

Error aliquorum.

Schœ-

Schœnantos, Origani, Hyperici, Violarum Matricariæ, Stæcados, & aliorum, qui omnes debilem & paucam ferunt coctionem. Præterea quot aromata difficile comminuuntur, vt Casia lignea, Cariophylli, lignum Aloes, & alia, quæ breuem sustinent cocturam? Et ideo horum sententia reiicienda venit, si de omnibus supponunt veram esse, vt vnanimes affirmant. Dicamus igitur ad mentem Mes. & aliorum Scriptorum, hæc longa indigere ebullitione, vel ipsam posse ferre, si occasio postulabit, Centaurium, Colocynthis, Polypodium, Serpentaria, Arthanita, Aristolochia, Omnes Radices, & quæcunque substantia sunt densa, & crassa: Hæc Mes. Talia sunt omnia frumentacea, stiptica, & resinæ, vt Galen. 2. per genera cap. 3. Mediocrem ferunt cocturam Thymus, Rhabarbarum optimum, Turpethum, Scammonium, Hyssopum, Agaricus, Helleborus; Sena; sic Genistæ flos, & Iris vt Mes. propriis cap. Adhæc Semina, Aromata, & folia. Paucam, & debilem quattuor semina frigida maiora, Adiantum album, Epithymum, Violæ, & Flores prope omnes; sic & quæ in subiecto raro existunt: præterea vt proprio cap. Tamarindi, Myrobalani, quæ potius

Plenam coctionem sustinentia.

Mediocrem.

Paucam.

Mes. prop. in locis.

infundendæ, Stœchados flores, Asarum; Et quæcunque lubricando aluum subducunt, aut humiditate multa. inter quæ arbitror ego collocari Cassiam; at non Mannam, vt non pauci recentiorum Medicorum, & Seplasiariorum sibi persuadent: Nam Mes. capit. proprio, hæc litteris tradidit memoratu digna: *Quoniam vero imbecilliter euacuat, præsertim cruda*; Cocta enim citius agit, & ideo Electuarium quoddam confecit ex Manna, quam ebullire imperat cum libra vna succi Rosarum ad conuenientem consistentiam; quod procul omni dubio diuturnam requirit cocturam, quam non sustinent Thus, Myrrha, & Aloe, vt Galen. 2. per genera. cap. 3. Sed quænam Metallorum ferant aut longã, aut mediocrem, aut debilem, aut nullam coctionem, vbi de Vnguentis, patefaciam. Quę autem vocentur Aromata, sequenti Capite narrabo.

Error aliquorum circa Mannam In Cano.

Manna longam susticoctionem.

De Coctura in duplici vase Cap. XIX.

DECOCTIO illa, quæ duplici celebratur vase, non solum à Galeno mirum in modum probatur, sed etiam aba-

ab aliis grauissimis Medicis, qui ante ipsum, & suo tempore medicinam faciebant; quoniam nullum imminet periculum, ne medicamenta ab æstuanti, ac flagranti igne adurantur: immo potius humiditatem propriam humido illo calore conseruant. In vsu fuisse hoc coctura genus apud diligentes Medicos narratur libr. 4. de sanitat. tuenda capit. 8. sic: *Qui vero magis his sunt curiosi, in duplici vase coquunt, hoc fit, cum in lebete, in quo sit aqua feruens, inseritur vasculum, in quo sit oleum, quod nos facere solemus.* Et 3. per genera. capit. 8. *Duplici vase liquanda, quod omnibus Vnguentis est commune.* Vtebatur duplici vase Andromachus, vt scribitur 7. secundum locos, Arteriaca septima, quo inquit: *Sit autem mel præcoctum, & in duplici vase priuatim vsquequo manus non inquinet.* Et eodem libro, vbi de iis, quæ à Critone hæc: *Hoc solo loco apposuit in duplici vase, h. e. Diplomate, cocturam fieri debere. Rectissime autem fecerit, qui omnes Arteriacas, quæ mitigatoriam, coctoriam, & lenitoriam vim habere prædicātur, in duplo vase, quomodo sane Vnguētarii vnguēta parāt, sic præustas prunas, aut ligna fumum nō edētia succēdentes.* Et Asclepiades referēte Gal. 7. per gener.

c. 12. sic. *Omnibus contusis, & in vas duplex vnguentarium iniectis vini sextarios octo affundito.* A cuius verbis innotescit non paucis Seplasiariis, eum multam quãtitatem Simplicium, & liquoris Diplomate decoxisse: sicuti & 7. per loc. Mellis heminas quattuor. Et 7. per gen. c. vlt. hæc cecinit Democrates:

Iniectis vasi prædicta liquescunt aqua
In alia Olla: liquefactis inde Malabathrum
Et cunctis vnitis modice, vt non ferueat
Duplex depone vas protinus ex cacabo.

Et Gal. 1. de Antid. cap. 15. vbi de Theriaca, nonne resinam Terebinthinam in duplici vase primò colliquat, tum Styracem, & Galbanum prius confracta cum melle? Nonne 10. Meth. c. 9. liquefacit duplici vase ceram, & oleum pro hecticis inungendis? Præterea quot olea decreuit Mesue Diplomate decoquenda esse? quod genus decoquendi à peritis Pharmacopœis, & à Chymicis summopere probatur; & potissimum si compositio multa aromata recipiat. At recentiores auaritia ducti hoc fugiunt.

Error aliquorum.

Aromata qua.

Aromata autem dicuntur hæc à Gal. 7. lib. Methodi. cap. 4. Spica Nardi, Amomum, Calamus aromaticus, Iris, Ladanum,

num, Malabathri folia, Styrax, Bdellium, Opobalſamum, Balſamum, Xylobalſamum, & alia multa. Sed omnium aromatum abunde calet natura, maxime Caſiæ, Coſti, Cinnamomi, & Amomi, vt 5. Aphoriſ. 28. Et 9. per loc. inter hæc flos Iunci odorati, & Coſtus. Et 6. de Compo. per loca, & 5. videtur enumerare inter aromata Myrrham, & Crocum dicens: *Crocus autem, & Myrrha, multaque alia aromata in decoquendo vim amittunt.* Nam, vt ſcribitur 7. per loc. cap. 6. *Sunt tenuium partium, reſiccantia, atque calefacientia, & odorata*, ſicut 7. Simpl. cap. de Calamo habetur. Sunt præterea quædam quæ aromatum redolent, vt Macer, fructus Iuniperi, & Cedri, ſicuti 7. de Alim. fac. legere eſt. Arabes inter Aromata enumerant Caryophyllos, Nucem Myriſticam, Moſchum, Ambram, & Santalum, vt placet Haly in deſcriptione Pil. Alephanginarum Meſ. lignum Aloes, Macem, Cardamomum, Cubebas, & Aſarum locauit. Ante eorum decoctionem craſſo modo conterantur ad Meſ. præceptum eodem Capite.

De Trituratione, & Læuigatione Cap. XX.

QVEMADMODVM Decoctio varia affert commoda in medicaminum præparatione, sicut Capite antecedenti demonstrauimus: ita & Attritus, siue Trituratio non paucas vtilitates illis impertiri potest; maximie cum Mes. in Can. capite de Trituratione, nos doceat triplicem Attritus esse necessitatem: Aut est, vt medicamenta melius in vnum misceantur: Aut, vt à medicinis illis aliqua proprietas acquiratur: Aut, vt earum aliqua mala qualitas deprimatur. Sed inter has omnes præcipuam arbitror ego esse primam: Nam Trituratione quodlibet minimum alicuius Simplicis minimum alterius tangit, & inalterat, à quorum perfecto contactu mixtio ab arte pendens consurgit. Sed his addere debemus, narrante Galeno variis in locis, medicamenta trita facilius, & citius corpora permeare; quod ab ipsis integris deuoratis minime euenire posse, certissimum est. Sunt autem à Pharmacopœis varia memoria custodienda, vt accommodata, & conueniens fiat Attritio;

hæc

hæc ſunt triturabilium Natura, trituratio-nis Terminus, triturandi Modus; & Inſtrumenta, quibus talis facienda ſit operatio, vt perfecta euadat.

Quot ad triturationem.

Multiformes Simplicium naturæ, quæ trituranda veniunt, varium re vera expoſtulant Attritum, quod litteris mandauit Meſ. demonſtrans illa etiam, quæ eiuſdem exſtant eſſentiæ, & ſpeciei, diuerſa ſecundum magnitudinem, & paruitatem, & raritatem, & denſitatem variam requirere Triturationem, & longiorem, & breuiorem; cuius verba ſunt hæc: *Multa quidem craſſis Trituratio conuenit, vt Scammonio craſſo; Pauca tenuibus, & textura debilis, & virtute cito exhalabili præditis, vt Scammonio Antiocheno; mediocris denique amborum medys. Et quanto medicamenti eſſentia eſt craſſior; tanto longiori tritura indiget.* Dat exemplum capit. de Rhabarbaro, *quod ſi legitimum fuerit, & integrum, teri poteſt viribus integris; at ſi laxius, & rarius, vehemens contritio virtutem reſoluit.* Metalla ideo omnia, lapidea, atque terreſtria decreuit Galenus diutius eſſe trituranda & læuiganda: & quæcumque ſubſtantia dura, denſa, viſcida, & craſſa inſignita ſint, vt 1. Simpl. facul. c. 11. ait.

Metalla longa egent Trituratione.

At videor audire nonnullos aduersus Mes. sententiam affirmantes, vt quotidiana experientia demonstrat, non pauca leuia, rara, & debili textura longam requirere Triturationem, ac vehementem, vt Colocynthis, Sericum, Spongia, Lana, quidam flores, & herbæ, & pili. His paucis dicemus, propositam Mes. sententiam vt plurimum, & pro maiori parte veram esse, at in quibusdam omnino falsam: aliqua enim ob eorum naturam minime pistillis resistentem, sed potius cedentem, difficile (vt iam dicta) conteruntur. Sic & quæcumque in se aliquem lentorem habent. vt Succi, & Resinæ, nisi admodum exsiccatæ fuerint; sic & Gummi omnia, quæ si non arida, in placentam abeunt, & mortariis, ac vectibus adhærent. Præterea, & quæ fibris variis intertexuntur, vt Agaricus, quæ vt facile comminuantur, in frustula secanda erunt, & minutim incidenda; sicuti & prima illa iam dicta, quæ postea cum aliis crassiuscule contusis, terenda veniunt, vt si aliquid viscidi, & humidi contineant, à iam tritis exsiccentur, & vna cum illis defringantur. Fibræ igitur, quæ secundum longitudinem aut latitudinem, compositionem alicuius Simplicis ingrediuntur, sunt in

causa

cauſa, vt etiamſi ſint minus dura, ac denſa quibuſdam, difficilius terantur, vt Caſia ſcilicet lignea, & lignum Aloes; hoc enim facillime minuitur, illa verò ægre, & difficile; cum tuniculæ quædam fibroſæ eam totam texant.

Si variæ igitur ſint naturæ triturabilium, quæ aliquod Pharmacum in ſui compoſitione admittat, non erit alienum à ratione variis in temporibus conterere, ne id quod tenuius, ante durioris triturationem diſſipetur, & in auras abeat: Quorum tamen aliqua interdum ſolitaria comminuuntur; deinde cæteris admiſcentur. Primò itaque dura, denſa, & craſſa conterere inchoandum eſt, vt Radices, Ligna, Cortices, ſubſtantia quadam veluti oſſea prædita, & omnia adſtringentia: cum hæc craſſiuſcule contuſa fuerint, illis inijciantur, quæ piſtillis non reſiſtunt, ſed potius cedunt, ſiue ſint flores, ſiue fructus, ſiue herbæ; poſtea ſemina, & paulo poſt folia, atque herbæ: Ab his ſucci denſati, ſi aridi fuerint, & reſinæ, & gummi, prius in partes diſrupta hæc omnia; alia enim trita prohibent, ne iterum adhæreant: Deinde flores, & tandem ſemina oleaginoſa, vt Cucurbitæ,

Ordo varia terendi.

bitæ, cortice tamen priuata. At si inter radices, aut semina, aut flores, aut cortices, & ligna, aliquod fuerit facile dissolubile, atque euaporabile, post omnia teratur: Vel si vigorosum odorem spirantia, vt Moschus, Ambra, & Caphura, per se sola comminuantur, vel aliqua cum portiuncula iam tritorum, & postea cum aliis diligentissime confundantur. Aliqui ferè semper in suis compositionibus singula per se terunt, inter quos est Oribas. 3. Synop. Interdum etiam Haly 10. libr. capit. 3. solitarie iubet terere multa Soranus, referente Galeno libr. 1. de compos. per loc. capit. 5. cuius verba: *Singula per se contundito, & per cribrum arctius excutito, deinde misceto.* Quod forte in summe odoratis seruandum venit; vel in nonnullis medicamentis purgantibus; vel summe calefacientibus, ne aliqua eorum pars incontusa manens interturbet, & vitiet totum medicamentum; vel in illis, quæ q̃i minima trituratione in pollinem volatilẽ abeunt; vel in illis interdum, quæ viscida, & lenta existunt. Terit solitarium, postquam minutissime fuerit incisum Auicen. Sericum, libr. 5. S. 1. T. 1. sic & Scammonium, & Crocum, vt ibid. Caphura sit super aliquod durum

Quæ solitarie terenda.

Sericum solum terendum.

durum prius cõtusa, & in fine addatur, Haly 10. Pract. Sic & Ambra, & Moschus, capit. 20. quod confirmat Rhas. in suo Antid. Vel cum iam tritis læuigetur, & maxime cum Saccharo. Imperat per se terendas esse Amygdalas Serap. in suo Antid. Solæ etiam læuigentur Margaritæ, iubente Auicen. loco supradicto. Sic & omnes lapilli preciosi, de quibus cap. de Lapidibus egimus, qui tandem ceteris iam tritis addantur, vt Ser. cap. 33. Nonnulla quoque à Gal. li. 1. de Antid. c. 15. sola comminuebantur, quia de Thure hæc; *Thus quoque per se solum in mortario seorsum leuiter terere satius est, ne in placentam coeat.* At pauca re vera per se sola iubebat ille terere, sicut adaperte legitur eod. loc. dum modum præparandi Theriacam ante oculos ponit; immo multa eodem tempore, scilicet Fructus, Semina, Radices & Herbas, in mortariis Ægyptiis terere imperat; quibus deinde addit Pastillos, Cinnamomum, Crocum, Acaciam, dummodo humida non existat, Piper nigrum, & longum, Rosas siccas, Agaricum, Terram Lemniam, Chalcitidem adustam, Amomum, Casiam, Balsami fructus, Castorium, denique & Asphal-

Ambra, & Moschus sola.

Margarita sola.

& Asphaltum : Inter quæ re vera aliqua reponuntur , quæ facile teri possunt, & aliqua difficile : attamen debemus eius mandatis omnino acquiescere : & pro firmo habere , non sine aliqua maxima vtilitate medicamenti hoc fecisse: Aliqua enim eorum, quæ longam videntur posse ferre , ac vehementem trituratonem , cum densa existant, atque viscida , illam minime sustinere possunt, vt Viperæ Trochisci ; nam caro viperarum longo attritu , si ab initio iniecti fuerint , destruetur , cum iam in conficiendis illis diligenter decocta, & læuigata fuerit. Præterea non est cogitandum Galenum statuisse perpetuo omnia simul esse comminuenda , vsquequo singula sint in tenuissimum puluerem redacta; sed sæpe, atque sæpe cribro tenui , vel tenuissimo esse trajcienda , aliter impossibile esset, quæ postremo , ac tandem adiunguntur aliis, perfecte comminui; ab illis enim iam tritis attritus impeditur eorum ; nam pistillorum ictus vix ad ipsa peruenit, vel languide illa tangit. Si igitur necesse est ad perfecte omnia trituranda , vti in cernieulo iterum , atque iterum , procul omni dubio illa , quæ facilius teruntur ob tenuem, raramque eorum

eorum naturam, prima erunt trita: vnde aliquam eorum virium iacturam non patientur: Quæ vero difficilius, post illa ad vnguem etiam læuigata transmittentur. Simul etiam multa trituranda esse, & quam tenui cribro traiicienda decreuit ille libr. 4. de sanitat. tuend. capit. 7. & 5. dum omnia enim simul comminuuntur inter se calore à pistillis excitato inalterantur, & peroptime miscentur.

Terminus Triturationis multiplex existit, pro diuersitate non solum triturabilium, sed præcipue operationum, quæ à Medicis desiderantur; quoniam si medicamenta in altum corporis se conferre cupiunt Medici, subtilissime terenda erunt; si in ventriculo permanere, crassiori modo, secundum Galeni præceptum libr. 1. de Antidot. capit. 7. & 4. de sanitat. tuend. vbi sic, dum de Diacalamintho: *Omnia simul tundenda, & quam tenui cribro cribranda, vt in totum corpus digerantur. Veluti è diuerso crassiora in ventriculo hærent, vt quæ angusta venarum ora transire nequeunt.* Et huius quidem præcepti in omnium medicamentorum compositione meminisse expedit. Attamen libro 1. Medic. facult.

Terminus triturationis incertus.

facul.c.11. hæc leguntur: *Nam quod pollinis instar tenue cuti inspergitur, excalefacit, maxime si affricueris; at quod solidum, & integrum linguæ, & ventri exiguum duntaxat caliditatis sensum mouet.* Acuius dictis cognoscere licet, subtilissime trita vētrē magis excalefacere, quam si crassiuscule cōminuta fuerint. Et 4. de sanitat. tuend. Ciminum perfecte tritum effici vreticum scribitur, quod prius erat deiectorium. Crasso igitur modo aliqua contusa effectus omnino contrarios producunt ab illis, cum integre attrita fuerint, ac læuigata.

Læuigatio quid. Læuigationem autem dicemus illam Triturationis speciem, in qua ita ad minima reducuntur Simplicia, vt sub digitis, vel inter labra tenella posita nihil asperi, aut inæqualis afferant sensui tactus: de hac sæpe mentionem fecit Galen. vt 3. per genera. capit. 2. vbi de Pharmacis ex *Quæ subtilissime terenda.* herbis sic: *At radices, & herbas totas non solum scire oportet accurate contusas tenuibus cribris secernere, sed etiam denuo exacte læuigare, vt arida Collyria.* Peroptime in puluerem redigantur omnia adstringentia, vt facilius corpora subeant, velut 2. per genera, capit. 10. Multi omnia *Purgantia læuiganda.* purgantia læuiganda esse decernunt, vt Haly li. 10. cap. 10. qui Turpethum, Myrobola-

robalanos, Agaricum, Scammonium, Carthamum, Polypodium, Epithymum, & Colocynthidem terere iubet, & ſubtili cribro, aut panno traiicere. ſic Meſ. Colocynthidis medullam ſtatuit, *quantum tenuiſſime poteſt fieri, triturandam, ne ventriculi tunicis adhæreat.* Inueniuntur tamen non pauci, qui arbitrantur omnia purgantia craſſiuſcule terenda eſſe, vt in ventriculo diutius permanentia obnoxios humores ad ſe rapiant; quod tamen non eſt obſeruatum à Meſ. nam capit. de Hiera Hermetis, quæ recipit Helleborum nigrum, Euphorbium, Turpethum, Agaricum, Myrobalanos, Colocynthidem, & Scammonium; præterea & multa alia non purgantia, vt ſunt Maſtiche, Aſarum, Crocus, &c. Qui in fine hæc: *Curioſe omnia terantur.* Vel vt alio in Codice: *Omnium bona fiat contritio.* Præterea vbi de Attritu in Can. loquens de Rhab. hæc: *Probe tritum vigoroſius euadit; at rarum, & laxum vim purgatricem prope admittit.* Adde, ſi illud eſſet verum ab ipſis pronũciatum, nec Meſue, nec ceteri alii graues Medici inſtituiſſent ad humores morbidos expurgandos Infuſa, Decocta, & Expreſſa; cum multo magis ſubtiliora, ac tenuiora hæc exiſtant, quam

Error aliquorum

trita

trita, atque ſubtili cribro ſecreta, ſi rationi, ac experientiæ acquieſcendum venit. Attamen quot deſcribuntur ab omnibus, & maxime à Meſ. ſimilia, quæ omnia genera purgantium in ſe continent? Sit nobis exemplo Epithymi Decoctum, Myrobalanorum, & aliorum multorum, quibus Serapia conficiuntur, ſic & Rhabarbari Infuſum. Nonne & docet modum nos placide aluum ſubducendi cum Scammonio, ſi illud panno ligatum Syrupo, vel Sapæ incoquatur? vt in Can. ille ſcribit; eius enim deiectoria facultas liquori diſtribuitur. At quis ignorat virtutem illam communicatam ſubtiliorem, ac tenuiorem eſſe, illo admodum ſubtiliter trito? Non negat tamen Meſ. nonnulla medicamenta purgantia perfecte comminuta ad vrinæ ductus interdum materiam lædentem transferre, cuius verba in Canon. ſunt: *Nam purgatoria acria interdum tenuiſſime pulnerata promptius per ora vaſorum penetrant in partes vrinarias, & alias remotiores, per eaſque euacuant.* Quæ denotant non omnia purgantia ad tales partes peruenire, & illa non ſemper, ſed interdum, immo & ad remotiores, qua operatione ſæpe, atque ſæpe indigemus, cum aut artus ma-

teria

teria aliqua repletos mundare studemus, aut caput dolore vexatum. Sileant igitur, qui audaciter affirmant purgantia crassiuscule tereda esse. Multa adhæc, quoniam diuturnum, ac longum tẽpus ad ipsa minuenda requirunt, mola læuigantur, & in farinam transeunt, talia sunt Hordeum, Triticum, Faba, Lens, Lolium, Fænugræcum, Lini semen, Milium, Lupini, Panicum, Eruum, Orobus, & Cicer, quæ Recentiores farinas dicunt, de quib. omnib. mentionem fecit Gal. variis in locis, vt li. 9. de Comp. secundum loc. c. 3. quo scribitur ex Critone Fænugræcum, & Eruum mollitum, *Mola quæ læuigandæ.*

Modus Triturandi profecto non est me iudice cõtemnendus; magni enim est momenti aliqua placide, & sine vehemẽtia contundere, & nonnulla robusto, ac frequenti brachio conterere. *Non est tamen ignorandum*, Mesue teste *omnem Triturationem cum facilitate faciendam esse, & pro terendorum substantiæ ratione; quæ n. est immodica, eorum resoluit virtutẽ*. Ideo quæcumq; densa, dura, crassa, ac lenta existunt, diu & vigorose trituranda: quæ tenuia, breui tempore, & sine aliqua violentia. quod reliquit scriptum Galenus sic 1. de Simpl. Medic. facult. cap. 11. *Itaque* *Trituratio cum facilitate facienda.*

cum tenuium esse partium dicantur, quæ facile in tenues partes comminuuntur; crassarum vero partium, quæ contra: Tum dura, viscosa ægrè, & difficulter, ac omnino in tenuos minui non possunt; fragilia vero, & quæ intra viscositatem mollia sunt, prompte in tenues soluuntur. At in aromatum Trituratione, quæ densa, vel lentore quodam, ac fibris prædita existunt, accurata est vtendum diligentia, ne dissipentur, & eorũ maxima portio exhalet. Ad quod euitandum aliqui interdum aut vino aromatico, aut stillatitio rosarum leuiter irrorant: minus vehementer, & breuius folia, semina & flores, quam radices, nonnullis exceptis, de quib. inf. Omnia sume odorata, ut Moschus, Ambra, & Caphura agitentur suauiter, pistillo ad latera commoto, vel ducto, vsquequo comminuantur. Nonnulli inungunt mortarium, atq; pistillum oleo amygdalino, paucissimo tamen, antequã Ambram cõterant, vel cum aliquo arido, vt Saccharo. Placide quoque nõ percutiendo, gum̃i, & resinæ quædam prius optime exsiccatæ, ne in vnum coeant. Quædam vero in pollinẽ minime reduci possunt, sed vino læuigantur, vt Opium, Acacia, & succus dulcis radiculæ, dũmodo natura, & forma totius Pharmaci hoc admittat.

Quæ difficile terantur.

Aromata accurate terenda.

Gummi quomodo terendum.

Varia

Varia vsu veniunt Instrumenta, quib. medicamentorum fit attritus, atq; perficitur: sunt hæc Pilæ, vel Mortaria, Pistilli, seu Vectes, & tandem Incernicula, quorum interuentu cognoscuntur triturabilia esse peroptime trita, & secreta, pro eorum tamen natura, ac fine à Medico mēte concepto. Sint Pilæ, seu Mortaria ita dura, ne in cōtundendo aliquid ab ipsis diuellatur, nec disrumpatur, quod posteritati reliquit Gal. 1. de Ant. c. 15. sic: *Hæc mortariis Ægyptiis imponi debent: durissima enim sunt, itaque minus periculi est, ne pars aliqua inde inter contundendum abrupta medicinis admisceatur.* Haly lib. 10. c. 3. Mortariis lapideis, siue æreis mundis, atq; limatis terere iubet, quæ forte à nobis ænea dicuntur. Sint pistilli, seu Vectes diligenter mūniti, atq; detersi, ne quid rubiginis illis instat, vt Gal. loco citato. Ex variis autem possunt confici & Pistilli, & Mortaria, vt ex ferro, ære, plumbo, & ligno, vt Buxo. Et quoniam inæqualia iam triturata fere semper existunt, aliæ enim eorum partes magis, & minus comminutæ conspiciuntur; ideo Cribra, vel Incernicula adinuenta fuerunt, vt cuiuslibet partis iam tritæ eadem esset conditio: quæ tamen Incernicula varia adinueniuntur esse;

Instrumenta quib. fit attritus, quæ.

Vectes & Mortaria quæ.

Cribra varia.

aliqua enim tenuia, siue arcta, aut spissa alia tenuissima: quædam crassa, siue rara & nonnulla crassiora; quibus vtendum pro variis Medicorum mandatis. At frequentissime tenue, & tenuissimum cribrum apud ipsos in vsu existit. quod habemus lib. 4. de sanit. tuen. c. 3. quod firmauit Damocrates li. 2. de Antid. relator Gal. sic:

Isthac contusa subtili excute cribro.

Et libr. 1. vbi de Theriaca:

Contusa, densoque transmissa cribro.

Panno excutiebat multa Haly.

Et Haly 10. Pract. cap. 10. non tantum multa tenui excutiebat cribro medicamenta, sed subtili panno, per quem exagitatum leuissima puluis, ac subtilissima foras egrederetur. Sic & capit. 22. vbi si Thuriam, Margaritas, & Cancros excernere iubet. Sed quoniam non raro, dum in mortario triturabilia comminuuntur & per cribrum iam tusa traiiciuntur, subtilior pars, atque excellentior in auras se dissoluit, & dissipatur; ideo omni industria est euitandum, ne hoc accidat. Modum hoc effugiendi nos docet Crito 2. de Ant. cap. 18. dum de Scylla, his verbis, vt Gal. quod ad contundenda vero medicamenta, pertinet, accurate singula docuit: *Nam Mortario pellem obstricte circumligandam*

Mortarium quale ne dissipetur medicamentũ.

præcepit

præcepit, atque ita in medio perforatam, vt per id foramen non modo Rutabulum, vel Pistillum imponere possis; sed etiam eo sublato manum quoque, & cochlear immittere, quo per tale contusa, & quæ cribrando sunt, eximi queant. Rursus quoque alia pelle opus esse ducit, quæ angustius foramen adhuc habeat, vt per ipsum Tudicula sollummodo demitti possit ad cõtundẽda ea, quæ in mortario fuerint; hancque priori superimponendam dicit, nec prius adimendam, quam excitatus inter contundendum puluisculus subsideat. Eodem modo quoque, cum per cribrum contusa transmittemus desuper contegere quæ excutimus nos admonet, nec ea prius aperienda, quam cribro mouere prius desinerimus, deque sublato cribro, quidquid inhæsit, penna deducere. Admirentur Seplasiarii recentiores summam diligentiam Antiquorum in his omnibus agendis, depositaque solita arrogantia fateantur humili fronte omnia, quæ ad hæc pertinent, ab ipsis illos didicisse.

Arrogantia Seplasiariorum.

Hæc à me narrata ad Priscorum mentem à Pharmacopœis seruanda veniunt circa simplicium medicamentorum, & interdum cõpositorum Triturationem; inter quæ, cum aliqua adinueniantur ordinem interturbãtia Triturandi, vt exem-

pli gratia, flores quidã, qui difficile cõminuũtur, vel radices, quæ facile; vnde illi nõ cum floribus, nec illæ cum radicibus, triturandæ existunt, sed potius tẽpore, quo semina, & illi, quo radices. In medium talia afferam paucis tamen verbis.

Quæ longam aut debilem requirant triturationem.

Et prius quædam, quæ longam sustinent triturationem, aut mediocrem, aut debilem: vt Rhabarbarum optimum perfectam, at rarum paucam triturationem: longam Centaurium, Colocynthis: mediocrẽ Thymus, Hyssopus, Asarum, Iris, & Agaricus: paucam Scammonium. hæc Mes. propriis capit.

Inter Flores qui non facile teruntur; vnde fere in principio cum radicibus ponendi, est flos Schenanthos, Stæchade, Origani, Anthemidis, id est, Chamæmeli, Violarum, Matricariæ, & Hyperici.

Inter Herbas difficile, Cauda equina, Absinthium, Anethum, Marrubium, Carduus Sanctus, Fumaria, Polygonum, Folia Myrti, Sabinæ, Capilli Veneris, nisi à cauliculis illis separentur.

Facile inter Radices Angelica tenuis, Meum, Spica Celtica, Hermodactyli, Turpethum, Pentaphyllum, & Mechoaca.

De Ab-

De Ablutione, & Nutritione Cap. XXI.

MVLTAS narrat Mesue causas, ob quas medicamina abluuntur: *Interdum vt à partibus immundis detergantur, quod illis, quib. virtus est in superficie, vt Intybo, Cychorio agresti, Rosis, & similibus minime conuenit, nã dissipatur: cetera magis, & minus lauantur, quatenus sc. eorum virtus ferre potest.* Radices diligenter abluendas esse iubet Gal. 7. de Comp. Med. Non raro, vt acrimonia eorum superficiaria auferatur: *Sic ex aqua, aut mucagine Tragacanthæ semen Vrticæ lotum guttur, & partes alias, per quas permeat, adurere nequit. Sal quoq; Naphthicus aqua Cucurbitæ, aut simili lotus fit clemens.* Sic Mes. Ob acrimoniam delendã imperauit Gal. multa metallica, & lapides adustos abluendos esse, & modum nos docet li. 1. de Comp. Med. per genera. quem legere potes Capite de Metallicis. Abluuntur, vt morsum amittant Cera interdum, Pix, Resina, Oleum, & quidquid aliud aqua non miscetur, hæc li. 2. Simpl. cap. 15. de quib. mentionem faciemus hoc capite & aliis locis.

Varia causa ob quas fit ablutio.

Radices diligenter abluenda.

Metallica curiose abluantur.

Mesue. *Quandoque lauantur, vt facultatem eorum maligniorem auferat, salubriorem relinquẽdo, vt lapis Cyaneus, & Armenus moleste vomitoria, & deiectoria, per ablutionem multam, vomitoria esse desinunt, & clementer fiunt deiectoria; & Cancamum i.e. Lacca, lotum clementius purgat, tamen obstructiones, vt illotum liberat. Aloe lota potentius roborat partes nutritorias, minus lota aluum subducit, non lota è contrà.* Sit aqua, qua abluuntur hæc omnia, purissima, fontalis, & cuiuscunq; qualitatis expers, vt litteris tradidit Gal. li. 2. per genera, cap. 15. Sæpè præterea diluuntur nonnulla, vt vigorosiora, & valentiora reddantur, vt *Aloe ex aqua aromatum potentius roborat: ex decocto autem valenter purgantium, vt Agarici, Turpethi, & similium, si lauetur, purgantior euadit: Lota denique ex aqua Bdellii, & Tragacanthæ, ora venarum sic aperire desinit, vt sanguis effluat.* Sed proprie loquendo, hæc non dicitur ablutio, sed potius nutritio; nam medicamenta illa, vt Aloe, imbuuntur liquoribus illis, & eorum facultates, nec non etiam substantiam in se recipiunt, sicuti etiam interdum sæpe, atque sæpe reiteratis vicibus Rosarum succus Aloe superinfunditur, à quo & maceratur, & dissoluitur, & Sole exsiccatur,

Aloe nõ appellatur profectò lota illo succo, sed potius nutrita, & ipso imbuta, nisi liquor totus abiiciatur. Sicuti Gal. quandoq; iubet abluere metallica Vino, Aceto, & Aqua marina, quod scribitur libr. 1. de Comp. Med. per gener. c. 8. Adhæc quandoq; eluuntur aliqua, vt candida fiant, & morsum amittant, vt eodem li. c. 17. Talia exstant Terebinthina, Cera, Pix, Resina, & Oleum. Modum abluendi omnia, quæ aquæ non miscẽtur, nos docet li. 2. Simpl. c. 15. in medium afferens exemplum diluendi Oleum, cuius verba sunt: *Primum itaque modice Oleum concalefactum in vase latioris, ac magnum, cui insit aqua purissima copia, & omnis qualitatis maxime expertis, infundito; nam in ea quidquid sit id, quod abluitur, acrimoniam suam exuit: Deinde conterito, tundito, frangito, manibusque impense subigito, vt vnaquaque particula aquam possit contingere; Denique effusa priori aqua, rursum quod lauatur excalefaciens in aliam aquam sinceram iniicito, rursumque diutissime contundito, donec qualitatem suam in aquam deponat, id autem gustanti datur cognoscere; Mox vero & tertio, & quarto, & sæpius, donec aqua nullam ex abluto medicamento qualitatem recipiat.* Hæc ille. Quæ omnia nobis demon-

Aloe nutrita, & abluta qua.

Cera, Terebinthina, & Oleum quomodo abluantur.

monstrant perfectissime omnia abluendi modum, & terminum ablutionis, & quo pacto liquidiora, vt Oleum; & crassiora, vt Cera, Pix, & Resina, cum illud frangendum, & quatiendum, at cetera terenda, tundenda, frangenda, & manibus subigenda. Mesue quoq; instituit abluendam Axungiam porci esse nouies aqua calida, & toties frigida: vt ab ipsa non tantum acrimonia deleatur, sed etiam vim refrigerandi acquirat. At quis est Pharmacopœorum, qui hac diligentia abluat Oleum, vel similia? Dicat mihi, & acquiescam. Immo breuissimo tempore ab his omnibus illi se expediunt.

Cap. de Vnguento Ros.

Error Seplasiariorum.

Aloe quomodo lauanda.

Viam lauandi Aloen narrat Diosc. ca. proprio his verbis: *Lauatur, vt quod sit arenosum, tanquam inutile subsideat, & leue, & pinguissimum assumatur.* Quam postea possumus nos ter, & quater abluere semper abiiciendo aquam, postquam imum vasis illa petiuerit: *At sic accurate abluta, aut debiliter, aut nihil plane ventrem subducit; sic abluitur æris squamma, & æs vstum.* Hæc 3. facul. simpl. c. 15. docet Gal.

Lapis Armenus quo pacto abluendus.

Lapis Armenus, Alexandro Tralliano iubente, abluendus vsq; ad duodenas vices, at in veteri exemplari ad quinquagenas. Mesue vero cap. proprio sic: *Teratur cum*

tur cum facilitate in vase lapideo; deinde fundatur super ipsum aqua dulcis, & lauetur, sicut terendo, & fiat illud trigesies semper innouando aquam, & adhuc decies, postea abluatur aqua Rosata, vel Buglossæ, vt Alchindo placet.

Lacca, id est, Cancamum abluitur, vt vult Serapio, aqua calida vna cum surculis, quibus adhæret, in qua decocta fuerint Aristolochia, & Juncus odoratus; deinde exsiccanda, vt Dioscor. *Lacca quomodo.*

De Infusione, & Maceratione, nec non etiam Dissolutione
Cap. XXII.

INFVNDVNTVR, ac macerantur, & dissoluuntur varia simplicia ob multos fines: Aliqua enim infunduntur, & macerantur, vt liquari, dissolui, ac læuigari possint, quod pronunciauit Gale. 1. de Ant. capit. 15. ita: *Succi omnes vino macerentur, vt dissolui, & læuigari possint, vt Sagapenum, Opium, Hypocistis, & succus dulcis radiculæ; interdum Myrrha, & Crocus, & Thlaspi, & Napi semina prius contusa.* & Damocr. cap. 16.

Mero dissolue lachrymas, succos, atque
Metalla, donec mellis aquirant modum.
Et 2. de Antid. vbi de Cyphoide, hæc:
Bdellium, Vinum, Myrrhã in mortarium
Mittunt, & terũt quoad mellis crassitiem.

Quantitas liquoris in maceratione

At hæc supponunt Infusionem, & Macerationem, & ideo ad Pamphilianum hæc: *Per tres dies macerentur, & tantum vini infundatur, vt superferatur.*

Nonnulla infunduntur, ac macerantur, vt proprias facultates in aquam, vel alium liquorem transmittant, quæ deinde abiiciuntur, sicut legitur li. 6. de Comp. per loca, vbi de confectione de Malis Punicis sic: *Infundantur per diem fracta, & contusa, donec suam qualitatem in mustum transmittant*, sic & capita Papaueris, vt li. 7. *Si humidiora, & molliora per diem, accipienda est autem in huiusmodi sermonib. & nox; si sicciora, & duriora, longiori tempore.* Et ideo Actuar. vt dilucide scribitur li. de Comp. Med. per diem, & noctẽ infundere iubet. Ob causam, iam dictam infundere, & macerare decreuit & Rhabarbarum & Myrobalanos, & alia multa, quorum aliqua non tantum virtus, sed tenuior eorum substãtia in liquore permanet, vt dum infundit Casiam, ac Tamarindos, quæ postea per colum traiicit, vt in Syrupo de

Maceratio, aut infusio per diem & noctem.

po de Fumo terræ. Sint calidi liquores, vel aquæ, quibus illa infunduntur, vt cap. de Rosarum infusione videre licet; postea tempore conuenienti macerata exprimantur, & colentur.

Quædam facit meliora infusio nunc qualitatem maleficam auferendo, nunc bonam fouendo, & augendo. Primo granum Cnidium, & Esula (quam aliqui dicunt Mezereon, sed re vera Tithymalus existit) aceto macerata acrimoniam superficiariam amittunt, ac Turpethũ lacti recens mulsum infusum, & siccatum, ventrem turbare desint. Secundo modo Turpethum succo Cucumeris agrestis maceratum, materiam crassam à partibus remotis valenter educit, & Hermodactylus aceto Scyllitico, aut Scyllæ succo, aut Raphani infusus, à iuncturis potenter trahit: & Agaricus Oxymellite maceratus fit purgantior. Hæc Mesue. Sic & Mezereon, i. e. Chamælææ folia aceto per diem infusa, & postea exsiccata meliora, vt Mesue; à quibus fibræ illæ auferendæ veniunt, imperante Dioscoride. Sic excellentius Ciminum euadit per diem, & noctem maceratum, vt Haly 10. Pract. c. 16. & Serap. de Antid. fit autem acetum maxime acre, sicuti præcipit Gal. 4. de sanit. tuen. ca. 5.

Mezereon aceto infus.

Ciminum aceto macera.

De As-

De Assatione, & Torrefactione Cap. XXIII.

Assatio quo pacto fiat.

SPECIEM Decoctionis esse Assationem absumpto humido superfluo ab igne suscitatam, decreuit Mesue; in qua tamen coctura omnino non absumitur propria humiditas medicamenti. Hæc *fit frixorio, vel patella: quæ nunc virtutem medicamenti adauget, vt assata Scilla: nunc minuit, vt Psyllium assatum minus purgat, & multa assatione fiunt meliora: quandoq; virtutem purgandi reprimit, & adstrictoriam intendit, vt in Rhabarbaro, & Myrobalanis.*

Mesue in Can.

Scilla quomodo assetur varie.

Scillæ assandi modum cecinit Andromachus narrante Galen. sic:

Inde Capillato Scillam cum cortice sumptam
Pulte linas, medio constituasque foco,
Ac cineris rutili cumulos superingere, donec
Reddatur Scylla mollius igne caput,
Signa dabit feruens positos cum discutit ignes,
Excute, & vt leues dempseris exuuias.

Modum etiam antę oculos nobis posuit Gal. li. 1. de Antid. c. 9. sic: *Principio Scillam succulentam de terra euellas, cuius folia, & scapus aruerint penitus; huic deinde cortice detracto duriorem pulticulam inducces ex tritico nouo, quantumque fieri potest, exquisite confectam, ipsam postea multo, ca-*

ro, calidoq; cineri subiectam non prius extrahes, quoadusque circumposita pulticula crusta plane fiat. Quod si, vbi hæc agis, furnus aliquis adsit, vna cum pane Scillam illuc inferre potes, inde cum obducta iam exaruit, ipsam extrahas. Docuit etiam nos hunc Diosc. lib. 7. c. 140. modum. Præterea & hæc addit: *Torretur item in olla indito operculo, quæ in furnum dimittatur. Sumi etiam solet medium, direptis vinotenus tunicis, quod frustatim consectum coquitur, mutata sæpius aqua, donec ipsa nec amaritudinem, nec acrimoniam habeat, traiectaq; lino frusta siccantur in vmbra, ita vt ne vlla quidem parte se cõtingant. His Scillæ segminibus ad oleum, vinum, & acetum Scillinum vtimur.*

Myrobalanorum assandi rationem narrat Albucasis sic: *Imbibe illas succo Cydoniorum, aut Granatorum acetosorum, aut Vuæ acerbæ; deinde exsicca eas bene, & madefac in Oleo rosato, vel Butyro: deinde assa super patellam ferream, vel testem calefactã primo, & caue, ne adurãntur.* Qui deinde instituit viam omnia semina, & grana adurendi, his verbis: *Accipe patellam ferream, aut terream, aut æneam, aut lebetem cum lato orificio, & calefac eã benè; deinde aufer ab igne, & statim, ac cito superpone semina, & com-*

Myrobalanos assandi modus.

& commisce, donec videbis assationem perfectam. Sic quoque assatur Tragacanthum, & Gummi Arabicum in frustula dissectum, quousque albescat. Galenus quoque interdum assabat & radices, & herbas, & semen, vt Erysimi, 7. Comp. quæ potius frixa laudat, quam assa. & ideo loquens de Cumino hæc: *Cuminum aceto maceratum continuo tunditur, aut etiam prius modicè frigitur in vase fictili, quod coctum in camino quam optime sit. Quæ enim exactè, penitusque cocta nō sunt, hæc lutosa potius, quam figulina sunt, & qualitatibus suis medicamenta remittunt.* Potest ne adinueniri maior diligentia, quam hęc Galeni, qui etiam fictilia quęnā optima sint, nos docet?

Cuminum quomodo assetur.

De Vstione, & Combustione Cap. XXIV.

NOn leue discrimen posuit Arist. li. 4. Meteorol. inter Assationem, & Vstionem; quæcumq; enim assantur, interno aliquam humiditatē seruant: atquæ comburuntur omnino illa priuantur. Et ideo Galen. libr. 5. secundum loc. c. vlt. terminum adustorum medicamentorum præfixit esse, cum neque fumosum, neque vaporosum ab ipsis effertur;

quæ

quæ sunt certa indicia penitus illorum humiditatem consumptam fuisse. Modum adurendi multa ante oculos ponit eodem loco dicens: *Contundito, vt massa friabilior euadat, quæ in ollam nouam coniecta, illam figulino luto obturato: operculum adaptetur circa medium perforatũ, quo per ipsum foramẽ rudicula imposita pharmacũ super prunas impositum agitatur.* Comburebat præterea & Viperas, vt ad Pisonem, & Herbas, & Lanam, vt 5. per loc. dicens: *Lentisci, & Perdicij herbæ vstæ cum lanis.* Aliis in locis Abrotanum, & Anethum, vt magis exsiccent. Adhęc Pilos, Sepiæ testã, Erinaceos marinos, Cochleas cum testis, Hirundines, Cicadas, Ranas, Alcyonia, & Spongias, sicuti scribitur lib. 2. Simpl. & alia multa, quæ breuitati studens omitto. Modo iam dicto adurebat Cerusam, & multa alia Dioscor. sic & Gal. lib. 4. per genera, c. 1. imperat multa metalla adurenda esse, vt postea abluta, morsum amittant, cuius sunt verba: *Atque hoc etiam memineritis, quod combustis elotis mordicatio, quæ prius adfuit, adimitur, ac interit.* Vritur autem Cadmia, quæ à vulgo Thutia appellatur, iubente Dioscoride c. 75. *super carbonibus obruta, donec translucida spectetur, & ferrei stercoris modo bullet, mox ex-*

Comburendi modus.

Metalla adurenda.

Cadmia quomodo vratur.

tinguitur vino Ammineo, sed quæ ad Psorarum medicamenta aceto. Alij exustam cōterunt vino, rursumq. fictili crudo torrent, donec pumicosa videatur. Lauatur deinde in mortario trita effusa subinde aquæ, (vel stillatitio Rosarum) dū sordiū nihil emergat, & postea coacta in pastillos reponitur. At Albucasis variis in liquoribus eam præcipit extinguendā esse adhuc candentē, & forcipe ab igne eductam pro varietate morborum. Eodem modo, quo Cadmia, comburebat, & ille Scoriam, quæ Climia ab ipso dicitur. Sed maiorem partem eorum, quæ adurūtur, Dioscoride impulsore, adurere debemus fictili; quæ iam priùs trita sint, aut frustatim incisa, vel carbonibus iniecta follibus accēsa. Lapidē autem Pyritem, illo scribente, vt *Calcem cremant in caminis aliquot diebus, eumq. colorē rubricæ contraxerit, eximētes recondūt. Vritur autem Chalcitis fictili nouo viuis carbonibus supposito: cocta erit, cū bullas excitare desierit, & perfectè inaruerit. Fæx vini cōburitur fictili crudo, vt Alcyonium, oblinito vasis spiraculo luto, cùm figulinum percoquetur, seruant; sed experimētum legitimæ coctionis est, vt aerio nitore albescat, & linguā tactu vrere videatur. Auripigmētū, donec igne flagret, & mutet colorē. Et Ærugo in fictili patina,* donec

Scoria quo pacto adurēda.

Lapis Pyrites quomodo adurendus.

Chalcitis quo pacto aduratur.

Fæx vini.

Auripigm.

Ærugo.

donec colore subcinerescat. Hæc ille. Scoriã Argenti, & Auri sic iubet Albucaſ. cremã-dam esse. *Accipe de Scoria quantum vis, & tere ipsam quãtum vis, & confice cum melle, & pone in vase fictili nono, & line cum argilla, & fac foramen in superficie coopertorij vt fum⁹ exhalet, & pone in medio ignis ex carbonibus, quãdo incipit Scoria comburi, aspice fumũ, qui egreditur ex foramine, si declinat ad nigredinem; sed quãdo videris ipsum declinare ad albedinẽ, aufer ab igne, & extrahe Scoriam, & proijcias de vino bono super ipsam, vt extinguatur; deinde tere, & vtere.* Scoria Argenti, & Auri.

Stibium autem torretur, vt Diosc. placet l. 5. c. 90. *adipe circumlinitũ, & carbonibus obrutũ, donec carbunculetur adeps: exẽptumq; restinguitur mulieris lacte, quæ marem peperit, aut vtere vino. Vritur etiam carbonibus succẽsis efflatum, quoad flagret; si enim paulò magis concremetur, fit plumbum; lauatur, vt Cadmia.* At Recẽtiores Stibiũ ita adurũt, vt liquetur, ita vt perlucidum conspiciatur, &c. 117. *Sal communis verò aqua semel abluitur, & siccatur; in ollã coopertã mittitur, subdito igne mouetur, donec nõ exsiliat.* Stibiũ id est Antimoniũ. Sal.

Nonnulla aliis admista facilè aduruntur, sed per seipsa difficilimè, à quibus & acquirunt aliquam qualitatem à Medico exoptatam. Exemplo sit nobis

Sulphur multis modis comburitur.

plumbum, cuius viam adurendi narrauit Diosc.lib.4.c.87.sic: *Super quàm tenuissimas laminas Plumbi fictili nouo positas Sulphur inspergito, additisq; rursus laminis, interiecto semper sulphure, vsque dum expleueris, succendito. Flagrante autem Plumbo ferrea rude versato, donec perfectè in cinerē redigatur, nihilq; non vstum hæserit; tum demum obstructis naribus eximito. Aut elimatam scobem in olla cum Sulphure vrito. Alij laminam in fictili crudo, vt dictum est, imponunt fornaci, aut foco, & circumlinentes operculum, dato exili spiramento vrunt. Alij pro Sulphure Cerusam, aut Hordeum inspergunt. Alij integras laminas imponentes acri igne vrunt, & rudicula ferrea continuò mouent: sed difficilis huiusmodi est vstio. Placet nobis magis primus modus, postea abluatur, vt Cadmia.* Hæc ille.

Aliqua deniq; aduruntur, vt efficaciora, & vigorosiora euadāt; nō enim Diosc.teste, semper vstio mitiora reddit iam adusta, sed valentiora, vt Sal, Vini fæx, Nitrū, & Calx. *Hæc conficitur,* sicuti lib.5.c.124. legitur, *è glebis lapidū crematis, necnon è vili marmore, quæ ceteris præfertur, cremātur autem in furno. Interdum fit ex testis marinorum Buccinorum, quæ cum candidissima fuerit, à clibano extrahito.*

Calx quo modo conficiatur.

Aduri-

Aduritur ferrum vel potiùs liquescit, quod Recentiores Chalybem dicunt, vt faciliùs læuigetur, aceto superinfuso, hoc modo. Sumatur Ferri puri virga, alteraq; Sulphuris, illa ferri ardentissimo candescat igni, ita vt rubea euadat, cuius vni extremo apponatur extremum virgæ Sulphuris; confestim liquescet ferrum, parua sq; in guttulas decidet, quę in mortario sine aliquo labore in puluerem redigetur, & postea aceto macerabitur acri. *Chalybs quo pacto aduratur.*

Chalcitis hoc modo aduritur, teste Gal. lib. 1. de Antid. c. 15. cuius verba: *Quattuor Chalcitidis drachmas cum Theriaca solummodo capiat, multò plures assare conueniet hoc modo: Conijce in exiguam ollam Chalcitidis crudæ drachmas nõ pauciores quadraginta; postea succensis carbonibus ollam absque operculo in medio prunarũ statue: cumq; liquefactam Chalcitin videris, ac quæ leuissima, & spumosa pars eius est innatare, statim ollam ab igne amoue, humiq; collocata, nec vt aliquando solebamus, sicuti qui ignem accendunt, ipsi insuflabis. Mirandum est enim quantum ita faciendo luteus, flauusq; color emergat: non tamen in Sole collocanda erit, sed in vmbra, donec frigeat, permittenda. Hinc postea id solummodò capies, quod supernè spumeum fuerit, quodq; neque lu-* *Chalcitis.*

teum, neque flauum, neque pallidum est; deinde experiundi gratia aliquantulum eius, quod probaueris, accipe, atque comminue, & num quis ex supradictis coloribus appareat, inspice; nam si qualis accepta est, viridis, aut cinerea mãserit, drachmas quattuor ipsius impones: Talem namque Chalcitin exiguam inuenies, etiamsi multam exusseris. Hæc Gal. Sed pauci, aut nulli Pharmacopœi hoc pacto Chalcitim adurunt leuissimam illam portionem accipientes; immo tota & sic impura, & sordida vtuntur, dummodò, vt sui est moris, tantam impensam subterfugiant.

Error Seplasiariorum.



DE PHARMACA SPECIATIM CONFICIENDI, ET PARANDI VERA METHODO, Liber Secundus.



Totius huius Libri Diuiſio.



CVm de Delectu generatim ſimplicium Medicamentorum: cum de modo aliqua illorum parandi, aut Abluendo, aut Nutriendo, aut Infundendo, aut Macerando, aut Vrendo, aut Comburendo: cum de Trituratione, atque Decoctione, quæ duo ab omnibus reputantur quammaximè neceſſaria ad Medicamina componẽda, orationem ſatis vberrimam habuerim. Nunc ad eorum Structuram me conferre decreui. Quæ Medicamenta ex variis conflata ſimplicibus à Galeno, necnon etiam à ſuis Maioribus Compoſi-

Pharmacũ etiã simplex dicitur.

tiones, Confectiones, Pharmaca appellantur: etiamsi Pharmaca non tantùm composita Galenus dixit, sed etiam simplicia, cuius verba: *Granatorum succum liquidum ipsum expressum Pharmacum.* & subdit: *Ceterum ex aridis Pharmacis est Diphrige citra mordacitatem*: sic & aridas Rosas contusas Pharmacum vocauit lib. 4. per loc. c. 3. & lib. 1. cap. 1. & 2. lib. 6. hæc: *Si cognouerit Simplicium Pharmacorum facultates.* Non raró sub hoc nomine Pharmaci Medicamentum purgans exprimitur, & intelligitur, vt variis in lib. à Galeno scribitur, & maximè lib. 5. Aphor. 1. vbi legitur: *Ob efficaciam Pharmaci fieri conuulsionem.* Interdum quoque Compositiones, quæ tamen per os desumuntur, Antidota appellantur, de quibus infra.

Variæ exstant Medicamentorum Formæ, atque Naturæ, quæ à Medicis imperantur; vt ab ipsis, aut ore desumptis, aut foris admotis tali modo paratis, sub tali Forma, vel Consistentia, vt multis placet, optatos illi assequantur fines: Aliqua enim sub liquoris natura continentur, vt Infusa, Decocta, Serapia, Miuæ, & Olea: Nonnulla sub Aridorum forma, vt pulueres, quæ recentiores species vocant, & Collyria, & Trochisci: & Quædam mediam

mediam naturam ſortiuntur; cum in puluerem redigi non poſſint, nec fluuida exſtant, talia ſunt Electaria, ſeu Antidota, Pilulæ, Conſeruæ, Eclegmata, Emplaſtra, Vnguenta, & Cerata: horum tamen aliqua magis ad naturam aridorum accedunt, & aliqua liquidorum quoquomodo conditionem ſeruant. Sed hac diſtinctione ſilentio inuoluta, ne confundamus Serapia in noſtra narratione cum Oleis, & Antidota cum Ceratis, vel Vnguentis, vel hæc cum Pilulis. Diuidemus totum hunc librum in duodecim Commentaria, ſequentes Meſue veſtigia, qui priùs de Medicamentis, quæ per os deſumuntur, poſtea de illis, quæ foris admouentur, orationem fecit.

In I.	De Infuſis, & Decoctis.
In II.	De Speciebus, ſeu Pulueribus.
In III.	De Zulapiis, & Serapiis.
In IIII.	De Eclegmate, ſeu Lohoc.
In V.	De Electariis.
In VI.	De Rotulis, & Conſeruis.
In VII.	De Trochiſcis.
In VIII.	De Pilulis.
In IX.	De Collyriis.
In X.	De Oleis.
In XI.	De Vnguentis.

De

Da Emplastris.
De Ceratis.
In XII. De Salibus, & de illis quæ Destillatione parantur.

De quibus etiamsi Mesue variis in libris verba habuerit: attamen aliquo loco particulari de his minimè sermonem suscepit. Sed antequam ad narrationem horũ deueniamus, priùs de Ponderibus, & Mensuris à nobis aliquid inmedium est afferendum; his enim inalteratis optima Pharmacorum compositio interturbatur, & vitiatur.

Duo esse necessaria ad cuiuscumque Antidoti structuram Simplicium, id est Delectum, & eorum Mensuram, & Pondus à Scriptoribus præscriptum demonstratur.

ANtequam narrationem Medicaminum Compositorum aggrediar, duo memoria digna Pharmacopæis proponere decreui, quæ perpetuò ab ipsis inquacũque Antidoto paranda seruanda erũt, quę sunt, Simplicium omnium, quibus illa conficiuntur, Delectus, eorumq. tale Pondes, talisque Mensura ab Autoribus præscripta; ab optimis enim, & vigorosis Com-

Componentibus validum, & perfectum suscitatur Compositum, & ab horum tali Pondere, & Mensura quædam determinata Proportio totius Medicamēti emergit, quæ summo labore, summaque industria ab inuentoribus excogitata, adinuētaque fuit; quæ si à Seplasiariis negligantur, procul omnī dubio, Pharmacum imbecille, imperfectum, & sine proportione euadit; quod non rarò euenit; nam aliqui illorum, quos arbitror esse paucos, humanitatis erga miseros infirmos omnino expertes Simplicia ad composita efficienda improba, adulterata, vitiata, vetustate, carie, & putredine, aut situ contaminata sumunt; maximè si talia è longinquis Regionibus ad nos deferantur, aut magno vendantur pretio. Sunt hæc Aromata omnia, Rhabarbarum, Scammonium, China, Salsa, & similia, necnon etiam Tamarindi, & Casia, quam humiditate propria priuatam aqua irrorant, aut cellis subterraneis seruant, aut spongia aqua imbuta sæpe detergere fingunt, vt humescat. quænam grauiora possunt isti committere peccata? & profectò vix mente ego concipere possum adinueniri homines ita arrogantes, impios, & scelestos, sicuti etiam mihi per-

Errores [illegible] ris.

persuadere non possum reperiri aliquos, qui audeant dedita opera loco alicuius simplicis medicamenti, aut compositi, quę magno pretio emuntur, exhibere infirmis aliquod vile, & morbo fortè repugnans. Vituperandi sunt etiam illi, qui neglectis Ponderibus, aut Mensuris Simplicium ab Auctorib. præfixis, oculo tãtùm iudice medicamenta conficiunt. Enimuerò aliqui cuiuscumque Ponderis determinatam grauitatem ignorant, & cuiuscumque Mensuræ molem, & rerum in ipsis contentarum pondus, necnon etiam nominum quorumdam ad pondera attinentium significationem; ideo non solùm vtile fore existimaui hæc omnia illis patefacere, sed etiam necessarium: ne ignorantia ducti in tam graues errores labantur. De Ponderibus igitur aliqua primò, & postea de Mensuris, ob oculos à nobis ponenda erunt vobis.

Pondera, quæ pro Pharmacis componendis à Medicis vsurpantur, & Pharmacopœis præscribuntur, sunt Libra, Vncia, Drachma, Scriptula, Oboli, Siliquæ, & Grana. At rarò hæc vsu veniunt Aureus scilicet Deunx, Dextans, Dodrans, Bes, Septunx, Sexunx, Quincunx, Triens,

uadrans, & Sextans.

Libra habet vncias duodecim, vt Gal. *Libra.*
ultis in locis, Aet. & Paulus, vbi de Ponderibus.

Vncia drachmas octo, teste Galeno 6. *Vncia.*
Comp. Med. per loca, & 1. per genera,
uod confirmatur à Paulo, & ab Aetio,
uas Denarios Romani appellabant, vt *Denarius.*
gitur lib. 8. per loca, cap. 5. & lib. 2. per
n. cap. 2. hæc: *Denariorum pondo octo,*
c est vnciam vnam. & 4. per genera: *Vn-*
e duæ sunt denarij sexdecim. Diuiditur i-
tur vncia vna in drachmas octo, & non
ouem, vt Seplasiarii Veneti somniant,
uti sequenti capite patefaciam.

Drachma in Scriptula tria distribuitur, *Drachma.*
uod reliquit scriptum Paul. & alii, vt
. de Ponderibus Galeno adscripto
rratur, at de drachmæ diuisione in
riptula Gal. minimè sermonem habuit,
d eam in obolos secauit.

Scriptulum duos obolos pendet, sicut *Scriptulus.*
ul. vnde drachma sex obolos habet,
uod ante ipsum cognouit Gal. lib. 6. per
ca. c. 1. cuius verba: *Sandaracha drachmæ*
midium, hoc est oboli tres. quod etiam
nfirmauit Serap. in suo Antidotario sic:
archimet est oboli sex.

Obolus siliquas tres pendet, vt lib. de *Obolus.*
Pon-

Ponderibus Galeno attributo.

Siliqua Kirat.

Siliqua grana quattuor habet, ſicuti ibi legitur, has Serapio Kirat vocauit, hæc dicens: *Omnis obolus ex Chirat tribus, & omnis Chirat eſt quattuor grana hordei.* Vtebatur interdum hoc pondere Kirat Meſue cap. de Colocynthide, vbi ſic: *Doſis ipſius eſt à Karactis ſex, ad decem.*

Faba Græca & Ægyptia

Aureus.

Faba Græca duos obolos pendet, vt Serap. & Ægyptia obolos quattuor.

Aureus excedit pondere drachmam, ſeptem, aut ſex granorum, vt multis recentioribus placet, etiamſi aliqui decem excedere ſtatuant. Grauiorem eſſe ſecundum Meſue ſententiam drachma nemini eſt obſcurum; nam varia Catapotiorum genera iubet exhibenda eſſe à drachma vna ad aureũ vnum, & Confect. Hamech à drachmis duabus ad Aureos duos. At Serap. fuit anceps, nã primò affirmat Aureum pendere drachmã, poſtea Cochleatium eſſe aureum vnum & drach. vnam.

Eſt Mina pondus centum Denariorũ, cuius quarta pars vigentiquinq; denarios efficit, ſicuti ſ. per genera ſcribitur.

Deunx	Denotat	*Vncias Vndecim*	*xi*	11
Dextans		*Vncias Decem*	*x*	10
Dodrans		*Vncias Nouem*	*ix*	9

Bes

[B]es	Vncias Octo	viii	8
[S]eptunx	Vncias Septem	vii	7
[S]exunx	Vncias Sex	vi	6
Quincunx	Vncias Quinque	v	5
Triens	Vncias Quattuor	iiii	4
Quadrans	Vncias Tres	iii	3
[S]extans	Vncias Duas	ii	2

Hæc ab Aetio vſurpata ſunt; ſed etiam [m]ulta à Gal. vt lib. 4. de Comp. per gene[r]a, ſcribitur. De his, ne lõgam orationem [ſ]uſcipiam, ſatis; nam cuiuſcumque pon[d]eris legitimam, ac veram grauitatem ac[c]uratè, & diligenter, quocumque ſpreto [l]abore Excellentiſs. Dom. Albertus Qua[t]rocchi veſtigauit, quam omnibus aperiet [i]n libro, qui inſcribetur de Ponderibus ad [m]entem Antiquorum.

Diuiſionem Vnciæ in nouem drachmas à Pharmacopœis Venetis nullo fundamento poſito adinuentam fuiſſe affirmamus, & hanc Medicamentorum proportionem deſtruere demonſtramus.

GRaues errores re vera à nonnullis Pharmacopœis in dies committũtur circa

circa Simpliciũ Delectum, eorum Co-ctionem, Attritũ, Ablutionem, Adustio-nem, Structuram, aliaq; multa, quæ bre-uitati studens omitto. Sed omnes Veneti praua consuetudine ducti grauissimo in errore versantur perpetuò, dum Vnciam in nouem drachmas distribuunt; cum nullus adinueniatur Medicus, siue Græ-cus, siue Arabs, qui tali vsus sit diuisione: quoniam Galenus l. 9. de Compon. Me-dic. per loca, cap. 2. sic: *Seminum Dauci drachmas octo, scilicet vnciam vnam:* è cu-ius verbis dilucidè patet Vnciam vnam drachmas octo pendere, quod multis a-liis in locis affirmauit, vt 1. per genera, im-mo 8. de Comp. Med. iam dicto, narrauit fortè ad mentem aliorum in drachmas septem cum dimidia diuidi vnciam; non discedit à sententia Galeni Paulus, sic et-iam multi alii, qui in libello de Ponderi-bus, & Mensuris Galeno adscripto inue-niuntur, & inter Arabes quisnam reperi-tur, qui vnciam in nouem drachmas dis-tribuat? fortè Auic. Rhasis, Mesue, vel Serapio? qui in his ob oculos ponendis sa-tis diligens fuit: immo, si eius dictis ac-quiescendum, decernendum erit vnciam in octo secasse drachmas Græcorum Me-dicorum vestigia sequens; nam affirmat,

sicut

sicut etiam Gal. drachmam pendere obolos sex, & vnusquisque obolus Chirat iij, seu siliquas tres, quarum grana vnaquaque quattuor habet. Quapropter statuẽdum erit & in ponderibus, sicut etiam in mensuris istos antiquorum Græcorum mandata sequutos fuisse. At dicet aliquis, si Mesue pro firmo habuisset octo drachmas vnciam constituere, in suis descriptionibus octo drachmas alicuius simplicis non posuisset, sed huius vnciam vnam, quod tamen est falsum; nam in apozemate Adianti sic: *Lupuli, violarum siccarum ana drach. octo*; multis in aliis Cõfectionibus drach. quattuor, in aliis duodecim, & in multis sexdecim, quibus in locis scripsisset vnciam mediam, vnciam vnam, & dimidiã, & vncias duas: quæ omnia quoquomodo destruere nostram sententiam videntur: at si ad memoriam reuocentur illa, quæ à Galeno, & à multis aliis, qui ante illum medicinam faciebant, circa talem scribendi modum prolata fuerunt, confestim è medio tolluntur tales dubitationes; nam mille in locis Gal. loco vnciæ, drachmas octo describit, dimidiæ quattuor, duarum sexdecim, trium vigintiquattuor, & sic de aliis; attamen notum est omnibus, secundum eius sententiam

vnciam vnam drachmas octo pendere; quas & sæpe denarios dixit: exemplo sit nobis Theriacæ descriptio, in qua drachmæ, & non vnciæ pondus Simplicium denotant, etiam si multa eorum sub vnciis collocare potuisset autor, vt *Pastillorum Scillinorum drachmæ quadragintaocto*, quæ vncias sex constituunt, sic & aliorum subsequētium *drachmas viginti quattuor*, quæ tres vncias pendent: attamen antiqui illi rarò vnciis in descriptionibus vtebantur; sed ferè semper drachmis; vt fortaßè notam facerent lectoribus proportionem Simplicium quò ad pondus Antidotum componentium: sicut in Theriaca videre licet; non est igitur incōsonum rationi, affirmare, Mesuem & in hoc, sicut etiam in aliis seniores Medicos, & potissimùm Galenum imitatum fuisse, præcipuè cū in Hiera ab ipso adinuenta scribat *Agarici drachmas nouē*, & non vnciam vnam: si enim statuisset vnciam constitui ex nouē drachmis, scripsisset, vt verisimile est, vnciam vnam. hæc, ni fallor, possunt, nisi admodum pertinaces Phramacopæi existāt, à tam graui errore ipsos auertere. Ab hoc enim Compositiones innumeræ, quarum pondus à Drachmis, & Vnciis, aut Libris desumitur & drachmis, ita peruer-

tun-

untur, vt proportio illa Simplicium ſi-
mul confuſorũ, à qua forma totius Anti-
doti conſurgit, ſumma diligentia à Maio-
ribus noſtris adinuenta, pereat: nam pri-
antur determinata quantitate Simpli-
ium ab Autore inſtituta : quod nobis
Theriacæ exemplo euadet adapertum.
Pendent Simplicia omnia hanc confe-
tionem componentia drachmas ccccliı.
uæ conſtituunt vncias quinquaginta, &
rachmas duas, ſi Venetos ſequamur Se-
laſias, at ſi Gal. ceteroſque Medicos, qui
anc Antidotum adinuenerunt, & litte-
s prodiderunt, vncias quinquagintaſex
um dimidia, his addunt mellis libras
ecem Scriptores omnes referente Gale-
o, & Antidotum parant: nonne adaper-
è patet minorem quantitatem Simpli-
ium quò ad pondus exiſtere in Theria-
a, quæ Venetis drachmis confici-
ur, quàm in illa, quæ Græcis, aut
Romanis? illa enim quinquaginta vn-
iis, & duabus drachmis conſtituitur;
 hæc quinquagintaſex cum dimidia;
nde in ſingula mellis libra exiſtunt
iorum ingredientium vnciæ quin-
ue cum dimidia, & drachmæ duæ
 ſcriptulum circiter vnum, at in il-
 quinque ſolùm vnciæ in libra vna

mellis: quapropter confectio tota ignaua, & imbecillis redditur ad proprias obeundas oparationes. hoc etiam euenit Confectioni Alchermes, Diasatirio, Diacimino, Tripheræ Persicæ, elect. Indo, Elescoph, Hamech, Rosato, Dyacydoniti, & multis aliis, quæ, ne tẽpus verbis conterã, silentio inuoluo. Hi non tantùm in componendis Antidotis dicta errata committũt; sed etiam minori eorum quantitate exhibita, postquàm confecta fuerint, immaturum interitum ægris afferre possunt, aut morbum natura breuem protrahere, quod etiam euenire pro firmo est censendum in Simplicium medicamẽtorum pondere: si enim aliquis drachmam vnam Dictamni præscribat, quæ vnciæ est octaua pars, minorẽ quantitatẽ præbebunt; cum in nouẽ partes, seu drachmas diuidant vnciam. Ne igitur in tã grauia peccata Seplasiarii Veneti rapiantur maximo cum detrimento ægrotãtium, in futurum statuendum erit secundum Gal. mentem, aliorumque grauium Scriptorum vnciam in octo drachmas tantùm diuidi, atq; secari, quæ fortè vncia, vt nõnullis placet, grauior est vncia Veneta, sed his prætermissis de Mensuris aliquid est dicendum à nobis.

De Mensuris.

EST Mensura capacitas quædam, seu Vasculi, vt Paulo placet, concauitas, qua rerum in ipsa contentarum moles iudicatur, quod reliquit etiam scriptum Gal. lib. 1. de Comp. Med per genera, c. 12. sic: *Vnciæ grauitatem corporum decernunt & mensurales molem.* Est tamen capacitas tam humidæ, quàm siccæ quãtitatis mensura, si credendum Paulo, quarum omniũ, sicuti etiam & ponderum exstant multæ differentiæ pro Regionum diuersitate, & gentium consuetudine. Sed quoniam non rarò Scriptores in medicamentorum liquorum descriptione Mensuris quibusdam vtuntur, quæ apud Pharmacopœos brefactæ minimè inueniuntur: necessarium est in medium afferre Pondera, & potissimum Aquæ, Olei, Vini & Mellis, quæ ipsis respondere possunt, & adaptari: nam etiamsi eadem sit Olei, Vini & Mellis mensura, attamen horum omnium nõ idem pondus: *Liquidorum enim corporum, sicut etiam solidorum* Gal. teste 6. de Comp. Med. per genera, c. 8. alia grauiora, & alia leuiora existunt. Quapropter Paulus hac in re diligentissimus statuit Mensuras Medicas quorumdam liqui-

dorum grauitate inter se dissidentiũ proportione quadam à melle desumpta põdere cognosci, cuius sunt verba: *At si voles & ponderum liquidorum mensuram scire, permulta liquidarum rerum in examine sua differentia habentur, vt in Olei, Vini, & Mellis exemplo dicemus. Mel igitur vino ponderosius quarta parte, itemque decima: quo fit, vt fere tertia ponderis pars melli accedat; capit enim integram huius mẽsuram, & insuper trientem. Mel autem oleo ex media parte grauius; continet enim totum olei modũ, & vltra semissem. Vinum oleo nona parte supereminet; totum enim ipsius pondus continet, & nonam ipsius partem. Quò autem res fiat dilucidior, ceu exemplo, particularium Mensurarũ Põdus subiungemus.* Attamẽ sicuti ab experientia patet, Oleo nõ solùm ex media parte Mel est grauius, sed etiam excedit tale pondus, quod peroptimè perspectum fuit à frequenti nostro Collegio, dum de libra mensurali olei, & mellis periculum fecerunt: vnde statuendum erit Paulum perfectissimam horum assequutum non fuisse cognitionem. Nunc autem ad particulares descendam mensuras.

Libra mensuralis olei quæ.

Est libra Mensuralis capacitas quædam decem vncias olei ponderales continens, quod

quod literis tradidit Gal. lib. 6. de Comp. Med. per genera, c. 8. sic: *Ego ſanè libram olei Romæ vocatam, quam per diſſecta cornua metiuntur, ponderaui quandoque cupiens ſcire quantum grauitatis pondus contineret. Inueni duodecim olei menſurales decem vnciis ponderum æquales eſſe.*

Pendet igitur libra vna menſuralis.

Olei vnc. x.

Aquæ vnc. xi.

Vini vnc. xi. & dr. i. ſcr. ii. & gr. vii.

Mellis vnc. xv. cum dimidia, & grana xv. circiter, & quandoque quadraginta pro diuerſitate mellis, aut eius coctura.

Sextarius Olei capit vnc. viginti mẽſurales, ſi de Sextario loquimur Romano, quod nos docet Galenus l. 1. de Cõp. Med. per genera c. 16. his verbis: *Sextarij Romani Herã meminiſſe puto; nã apud Athenienſes, neque mẽſura, neq; nomẽ erat, Sextarius apud Romanos continet vncias viginti, quas cornibus metiuntur: nonnulli autem falsò Romanum Sextarium opinati ſunt octodecim menſuralibus vnciis valere.* *Sextarius.*

Pendet Sextarius Olei vnc. xvi. ß. dr. i. & ſcr. i.

Aquæ vnc. xviii. dr. ii. & ſcr. ii.

Vini vnc. xviii. ß. dr. i, ſcr. ii.

Mellis vn.xxv.d.vi.ß.ſcr.i.g.xv

Sed Paulus Ægineta decreuit oleum, quod in Sextario continetur, pendere vncias decem & octo, Vini vnc. viginti, & Mellis vnc. viginti ſex, in nonnullis exemplaribus vigintiquinque cum dimidia, quę aduerſantur proportioni ab ipſo propoſitæ: niſi dicamus Menſuras, aut Pondera ab illis à Galeno differre; aut ab impreſſoribus aliqua errata commiſſa fuiſſe. Nec mirum; nam Oribaſius ſecundum Adamantium ſtatuit Sextarium Italicum *vini menſura vnciarum vigintiquatuor eſſe, pondere verò vncias viginti; cum Sextarius menſura mellis duas libras, & ſemiſſem pendeat*. Sed à Dioſcoridis dictis elicitur pendére vncias vigintiſeptem.

Cyathus quid.

Cyathus capit olei vnc. vnam, & dimidiam, quod pendet vnc. vnam, & drachmas duas.

Hemina quid.

Hemina olei in ſe continet vncias mēſurales nouem, ponderales autem ſeptem cum dimidia, hoc nos docuit Gal. lib. 5. de Comp. Med. per genera. c. 6. ſic: *Hemina Attica Italicas vncias nouem conficit; pendent enim nouem Italicæ vnciæ menſurales ſeptem vncias ponderales, & dimidiam, quæ ſexaginta Denarij ſunt, ſingulis vncijs octo denarios recipientibus*, & lib. 6. hæc: *Cum*

va-

varia sint Hemina; multi enim nouem vncijs Romana libra, & alij sexdecim illas confi- iunt. Concludit nouem Heminam esse vnciarum mensuralium. at Heras, vt legitur lib. I. per genera, cap. 16. *putauit Heminam Sextarium medium, seu vncias decem ex librali cornu indicare.*

Hemina igitur capit vncias nouem olei mensurales, quæ pendent vncias septem, & dimidiam.

Aquæ ponderales vnc. octo, & drach. duas.

Mellis vnc. vndecim cum dimidia, dr. i. & g. vi.

At Paul. vncias nouem olei põderales, vini decem, & Mellis terdecim esse Heminam putauit, quæ Galeni dictis aduersantur, cuius sententiam sequi decreuimus.

Cotyle, & Hemina idem est, quæ etiã Cotula à nonnullis vocatur. & hæc exstãt pondera liquidorum, quæ in iam dictis Mensuris cõtineri possunt, in quibus fortè aliquis error à nobis commissus fuit circa granorum numerum: cum perarduum sit Lancem omnino perfectam adinuenire. *Cotyle.*

Est Modius Italicus, seu Ægyptius aridorum mensura Chænices octo continens, quæ decem solent æquare libras pon- *Modius.*

ponderales: *Sed huiusmodi Mensuræ Pondus exponere haud facile est; quod aridarum rerum, (immo & Salis) infinitæ iuxta momenti Lancis rationem differentiæ existant*, sicuti posteritati scriptum Paul. reliquit. Nos autem in Sale theriaco viginti libras Salis modium ad Aetii mentem pendere statuemus.

DE



DE PARANDI INFVSA ET DECOCTA RATIONE,

Et circa hæc de vera, ac legitima exercitatione,

COMMENTARIVM I.

Quid sit Infusio, & eam parandi modus proponitur.

Cap. I.



NON paruum discrimẽ re vera est inter Infusum, & Decoctum; in illo enim medicamenta tantùm macerantur aliquo in liquore, & tãdiu, donec eorum vires illi distribuantur: at in decoctionibus aut ebulliunt, aut decoquuntur. quæ omnia peroptimè cognouit Mesue Distinct. 7. vbi de Infusis. Simplicia illa, quæ infunduntur, si radices, aut fructus, aut ligna, aut semina, aut lachrymæ fuerint, priùs crassiusculè aut incidantur, aut contundantur; si verò folia, dilacerentur, & frangantur; deinde calido liquore

quore, aut aqua macerentur: si verò flores integri infundantur, aut parùm terantur, vt Mesue c. de Infuso aquæ Casei. Tempus, quo hæc infusa manere debent, est varium pro diuersitate medicamentorum: Galenus, vt cap. de Infusione diximus, libro primo, per diem, & noctẽ: Mesue flores rosarum, & violarum per octo horas; medicamenta purgantia, vt Rhabarbarum, & Myrobalani, per noctẽ, vt eadem Distinctione scribitur, sic & Agaricus, & radicum cortices hellebori per noctem: si igitur nullum sit præfixum à Scriptoribus, aut à Medicis tempus, per noctem macerentur dummodo non sint flores; hi enim per octo horas: si radices, & ligna per diem, & noctem vase semper cooperto, quæ iterum tepefiant, & colentur, & exprimantur: ita diligenter ne aliquid humoris in illis maneat, maximè si humida & recentia fuerint Simplicia, à quibus potius augebitur liquor, quam secùs, vt in Infuso Rosarum videre licet. quæ si per aliquod temporis curriculum à putredine incontaminata seruare volueris, oleum superinfundatur, soli exponantur, & vase diligenter obturato recondantur. Ac de his abundè lib. primo, vbi de Infusione.

De

De Rosarum Infuso à Mesue descripto, & eius Exercitatione circa modum illud parandi, Dist. vi. vbi de Syr.

℞. Foliorum Rosarum recentium lib. vi.
Aquæ puræ lib. xv.

Macerentur Rosę aqua calefacta in vase terreo, stricti oris, operculato, per spacium octo horarum, postea colentur: Eidem aquę iterum calefactæ, rosarum tantumdem immittatur, & tamdiu maceretur, & coletur. Id si velis seruare oleo affuso & vase eodem benè operculato dies quadraginta in sola. Ab his à Mesue narratis sex eliciuntur memoratu digna, quæ veram infundendi methodum Pharmacopœis demonstrant. quæ. Aqua sit calida, vas angusti oris, spatium octo horarum, eius colo purgatio, quæ supponit Simplicium semper expressionem, & olei infusio, & insolatio, vt à putredine incontaminata seruentur. Rosæ à portiunculis illis albis forfice mundentur, Dioscor. non tantùm præceptum capit. de Rosis, sed & Pauli, & Aetii, dum de Hydrorosato sermonem habent, quas exun-

Error multorum.

exungulatas dicunt; nam talis alba portio incocta existens, vt gustus etiam indicat, aliquid acerbi, & adstringentis in se continet. Sint autem Rosæ perfectæ, atque completæ, vt cap. de Infuso, siue diluto aquæ Casei legitur. Non possum ego nisi admirari aliquorum audaciam, qui dum modum narrant hanc infusionem parandi ad Mesue mentem, affirmant aquæ accipiendas esse libras viginti duas cum dimidia, qui tamen decreuit quindecim solùm esse: at fortè dicent libram vnam aquæ secundum Mes. sententiam pendere decem & octo vncias; quod quidem me iudice est falsum; quo enim in loco hoc pronunciauit? præterea si hoc pro certo habent, cur in Infuso Myrobalanorum non ponunt libras quattuor cum dimidia, cum ibi sint tres, & in aqua mellis ab ipso instituta octo libras aquæ, & non duodecim? Non sint Rosæ, vt multi censent falsa opinione impulsi, matutino rore humentes; tormina quoniam afferunt, & cruciatus infirmis, & ventriculum interturbant, experimento sint nobis fructus ante Solis ortum decerpti, rorida illa humiditate perfusi: adde quantitatem aquę augeri, qua illæ macerantur, & earum pon-

Error aliquorum.

Error alter.

[c]us diminui: quapropter imbecille euadit [i]nfusum.

De Infusione Rosarum, ac Violarum, quæ Solutiua appellatur.

℞. Foliorum Rosarum, aut Violarũ lib. vi.
Aquæ puræ lib. xv.

Decies, aut duodecies reiteranda [ve]nit quantitas Rosarum descripta à Mesue [e]adem semper seruata aqua, & cetera alia [a]d vnguem agenda, quæ superiùs ille pro[p]osuit. quæ omnia in Violarum infusione [s]eruanda veniunt; sed animaduerten[d]um est folia tantùm illarum sumenda [e]sse, vt apertè ille reliquit scriptum di[cens]: *Foliorum Rosarum, aut Violarum.* Sed quis Seplasiariorũ inuenitur, qui nõ infundat totas violas vnà cum viridibus receptaculis à cauliculis ortis? nemo, si verum dicere licet. & ideo infusum illarum aluum rarò subducit, aut languide, & ęgrè soluit; cum non libras sex foliorum Violarum tale infusum recipiat; sed solùm aut vncias tres, vel duas, quarum etiam perfecta operatio à portionibus illis su-

Error circa violarũ infusionẽ grauissimus.

Error Seplasiariorum.

superfluis impeditur, aut interturbatur. Præterea quinam imponunt reiterando decies semper sex rosarum lib. in 15. aquæ libri?s nemo reuera: & ideo infirma vt plurimum est Syr. ros. solut. operatio.

Error aliquorum.

De Infuso, seu Diluto Rhabarbari, & Rosarum in aqua Casei ex Mesue.

℞. Foliorum Rosarum recentium, completarum vn. ii.
Rhabar. optimi Aur. i. ß. id est drach. i. ß. & g. x. cũ dimid. circiter.
Spicæ Aur. ß.
Aquæ Casei lib. ij.

Rhabarbarũ, & Rosæ parùm terantur, (vel Rhabarbarum incidatur) macerentur per noctẽ in aqua Casei pręsertim caprini, deinde cola, & propina: Seruatis aliis iam capite primo dictis. in nonnullis codicibus hæc leguntur, Rhabarbari aureos duos & dimidium, & spicæ aureum, & dimidium: sed hæc Medicis relinquenda.

De alijs Infusis.

Multa possunt eodem modo, quo illa Ro-

Rosarum, & Violarum parantur infusa à Pharmacopœis confici, vt foliorum florum Persici, quod aluum proritat, si quinquies macerentur, vel illarum rosarum albarum, quas recentiores Moschatas dicunt, vel florum Genistæ, id est, Spartii Dioscor. vel Fumariæ, ex quib. infusis & Serapia non raro parantur; at non solum ex omni genere florum, sed cuiuscumque etiam herbæ hoc agere possunt diligentes, atque curiosi Pharmacopæi.

De Vinis Medicatis.

Inter infusa etiam collocantur Vina medicata, quorum Prisci varia genera parabant pro diuersitate simplicium, quæ in ipsis macerabant; nunc enim Absinthium, nunc Saluiam, nunc Iuniperi Baccas, nunc Resinam, nunc Picem, nunc aromata quædam; sed vt plurimum Herbas narrante Dioscor. lib. 5. qui ita: *Hæc raro linteolo deligabant, & per spatium duorum mensium, aut quadraginta dierum dimittebant; & non raro folia illo inuoluebant cum lapillis quibusdam, vt ille degrauatus ponduscolo fasciculus ima peteret vasi.* Quantitas Simplicium sit varia pro diuersitate affectionum; aliquæ enim

eorum maiorem, vel minorem expostulant copiam, sed hoc onus est Medici iubentis: recentiores lignum Indum, Sassafrassi radicem, vel Chinæ immergunt. At non solum Antiqui Medici vtebantur alterantibus vinis, ac roborantibus, sed etiam purgantibus, vt Aetius Serm. 3. & Paul. qui multa genera vinorum parare docent humores è corpore extrudentia, sicuti bilem purgans, quod habet

Scammonii,
Casiæ lig. an. vnc. j.
Vini Sext. vj. vel lib. viiij. vnc. iiij
cum dimidia circiter.

Hæc tenuissime trita linteolo illigentur, & hoc exacte in vino suspendatur, & sinatur ad quinque dies.

De Vino Mulso Mesue quod Oenomeli à Græcis appellatur.

℞. Vini antiqui, optimi lib. x.
Mellis optimi despum. lib. ij.
Cinnamomi tenuis dr. v.
Spicæ Nardi dr. j.
Caryophyl.
Zingiberis,

Macis

Macis, an vnc. ß.
Cardamomi dr. ij.
Croci dr. j. ß.
Moschi dr. iij. *Ingred. x.*

Terantur omnia negligenter, & vino, & melle confundantur; deinde panno raro colentur, & Moscho aromatizentur. Est tamen arbitrandum saltem per curriculum quinque, aut septem dierum aromata illa maceranda esse, antequam colo traiiciantur, vt eorum vires in liquorem transmittantur: at Diosc. diebus quadraginta quiescere sinebat, vinumque recens, vel mustum sumebat, quod postquã deferbuerat, transfundebat: & sæpe Aromata simul trita, & linteo colligata in cadum musti demergebat. Oenomeli probatur etiam à Gal. li. 5. de san. tuen. c. 5. sic: *Non vetarem etiam nec iis vinis, quæ melle condiuntur, senes vti, maxime quibus suspicio est calculi in renib. gignendi, aut podagræ, articularisue morbi impetus futuri. Porro vinum huiusmodi compositioni aptissimum fuerit Sabinum, aut simile aliquod. Coniicitur aut in id Petroselinum, atque id solum articularib. satisfaciat: iis v. qui calculo laborãt, etiã aliquid Betonicæ, & Saxiphragiæ, qui vero curiosius id medicamẽtum cõponunt, Spica Nardi etiã aliquid iniiciũt.* *Vini Mulsi vsus à Gal. probatur.*

Aliud Vinum simile, sed suauius.

℞. Vini albi, odorati & vigorosi lib. ij.
Cinnamomi elec. vnc, ij.
Sacchari albi vnc. vij.
Moschi script. j. *Ingred. iiij.*

Saccharum, & Cinnamomum crassiuscule terantur, cum vino confundantur, per dies octo macerentur; postea colo traiiciantur, quibus moschum aliqua eius portione dissolutum adde.

De Aceto Scillino à Mesue descripto Veterum consensu.

℞. Laminarum Scillæ lib. j.
Aceti albi lib. viij. *Ingred. ij.*

Scillæ Laminas inter corticem, & cor medias acu lignea filo consutas tanto interuallo, ne se contingant, siccabis in vmbra dies quadraginta; postea cultello cõcisas ligneo in frustula dies alios quadraginta insolabis aceto iniectas in vase vitreato, stricti orificii, bene obturato, postea colabis, & vteris. Si vero accelerare cogeris, sepelire oportet vas in calido cinere, vel

Error quot non insolant

re, vel sabuloso, non repente, sed paulatim horarum spatio intercedente. Mesue. Scilla sit alba, vt Dioscorid.

De Hellebori Infuso densato, quod Recentiores Extractum dicunt, cuius exemplo, & Rhabarbari, & aliorum parari potest.

℞. Hellebori nigri corticum Radicum recentium lib. ij.
Sem. Dauci vnc. ß.
Aquæ communis lib. x. *Ingred. iij.*

Macerentur Hellebori radices aqua calida per duos dies vna cum Dauco, postea leuiter bulliant ad lib. *j.* consumpt. deinde exprimantur, ter hoc iteretur, semper nouas radices accipiendo, deniq; coletur, & Sole, aut diplomate euaporando, aut placide ebulliendo exsiccetur colatum; sic enim non destruitur facultas medicamenti à feruido calore ignis; vt quotidie euenit multis. Extracto tali, aut Infuso vtebantur Græci, & Arabes; nam Diosco. nos hoc efficiendi docet modum cap. de Gentiana lib. 3. cap. 3. sic: *Contusa radix quinque diebus aqua maceretur,* *Error aliquorum.*

postea discoquitur, dum exstant radices, & vbi refrixerit aqua, linteo excolatur, mox discoquitur, dum mellis crassitudo fiat. Et Mesue c. de Myrob. hæc: *Alii ipsarum tritarum partem vnam octo diebus macerant sero lactis caprini in vase vitreo oris angusti, deinde semel ferueſiant, manib. confricant, colant, qua aqua exsiccata trochiscos fingunt.* Hoc pacto parare iubet Rasis Rhabar. extractum.

Quid Decoctum, quis ordo in ipso faciendo seruandus, & Præcepta quædam à Pharmacopœis memoria custodienda proponuntur.

Cap. II.

DECOCTVM, seu Apozema, vt Actuario placet, atq; Mesue, solent omnes appellare illum liquorem, siue sit simplex aqua, vel aliud, in quem facultates, nec nõ etiam interdum aliquæ substantiæ medicamentorũ portiones transmissę fuerint. Quorum vires, vt prompte, & secundum decoquibilium naturam in ipsum à calore agẽte eliciantur, & foris educantur, is erit à Pharmacopœis in decoctis multa genera recipientib. Simplicium seruandus ordo, de quib. tamen ca. de Decoctionib. li. 1. egimus.

In

In aquam limpidam, atq; dulcem primò iniiciantur ligna, postea frumentacea, vt hordeum mundum, quod sit optime panno detersum. paulo post, vel etiam eodem tempore, si times decoctum viscidius fieri, Radices à capillamentis mundatæ, detersæ, si magnæ in frustula dissectæ, atq; contusæ, & ab internis medullis, si illis inerunt, expurgatę, tales sunt Appii, Fæniculi, Capparis, Rumicis, & similium. Deinde fructus nucleis priuati, qui si adhæreant, vt in Sebesten, & Iuiubis, ictibus cultri plagentur, at ficus in partes secentur, à Myrobalanis educuntur nuclei pistillo confractis. Post hos Semina, quæ cortice si aliquo sunt inuoluta, denudentur, & vix contundantur, si admodum exigua non fuerint: Post hæc Aromata crassiuscule fracta, & confestim Folia, & Herbæ dilaceratæ manibus, atq; diuulsæ, & ramulis priuatæ: Deinde flores, qui leuissimam coctionem admittunt; & tandem si occasio postulabit illa, quæ blande, & placide aluum subducunt, vt sunt Manna, Cassia, ac Tamarindi, quæ paucis ebullitionibus indigent, vt interdum Mesue placet, etiamsi Mannam cum succo rosarum ebullire facit ad Syrupi crassitiem in electuario de Manna.

Præterea Purgantia medicamina, vt Agaricus, Colocynthis, Turpethum, cortices radicum Hellebori, Rhabarbarum, & Senna tempore ſeminum iniiciantur; mediocrem enim ferunt decoctionem; vel cum ab igne decoctum feruens remouetur, macerentur per noctem, vel per ſpatium ſex, aut octo horarum, Immo Meſue interdum fricat tantum aliqua purgantia, vt in decocto epithimi dicens: *Cola, frica, in eo Hellebori nigri drachmam vnam, Agarici dimidiam, & Salis Indi aureum vnum, & vtere.* Attamen eſt arbitrandum deinde relinquenda eſſe per aliquod tempus, vt macerentur, vt eorum virtus decocto communicetur.

Radices quæ non ferunt longam coctionem.

Myrobalani longam non ferunt coctionem.

Sed circa hæc quædam à Pharmacopœis ſeruanda veniunt, quæ quoquomodo videntur methodum iam propoſitam peruertere, quod tamen eſt falſum. Et primo Radices tenues, & odoratæ vt Aſari, nec non & ligna comminuta odorata cum aromatis ad ebulliendum ponantur; longam enim non ſuſtinet decoctionem, vt Meſue. Secundò Myrobalani, quæ inter fructus exſiſtunt, tempore foliorum, & herbarum; eorum enim coctio purgatoriam reſoluit virtutem, & adſtringens efficit decoctum, teſte Meſue; cum floribus au-

bus autem non ſunt ponendi; quoniam cum admodum ſint exſiccatæ, & duræ aliquo indigent tempore longiori, antequam humiditas vnà cum calore, ipſas permeet, vel in decocto feruenti ab igne depoſito macerentur.

Semina quæ non ferunt coct. longam

Semina quattuor frigida vnà cum floribus, ſic Adiantum, & Epithimum, vt Meſ. ſic & Caſſuta vel Cuſcuta. Semina vero viſcedinem quandam continentia cum radicibus reuera eſſent ebullienda; cum difficillime eorum virtus diſſolui poſſit: ſed quoniam lentum, & viſcidum reddunt decoctum, quod ab infirmis interdum damnatur, atq; vituperatur, tempore, quo ſemina decoquantur, vel aliquo panno inuoluantur, vt minor viſcedinis copia per decoctum diffundatur, Meſue mandatum, cum deſideramus mitiorem medicaminis qualitatem in decoctum diſtribui.

Glycyrrhizæ radix longam ſuſtinet coctionem.

Hoc etiam ſeruandum venit circa Glycyrrhizæ radicem, ne inſuaue, & iniucundum reddatur decoctum, quæ cum craſſa ſint ſubſtantia donatæ, & ſucco potius lento imbutæ longam poſſunt ferre cocturam. At ſi ægri hoc non vetent, bulliant & ſemina illa, & hæc radix cum aliis radicibus, vt mucoſum euadat decoctum; talis

talis enim fuit finis Medici, qui medicamenta confecit: sin minus ante herbas, atque folia bulliant.

Coquantur hæc omnia, aut eorum maior pars, aut aliqua secundum medicamẽti indigentiam, ordine iam dicto, in fictili vitreato, aut vase æreo perfecte stanno obducto, maxima cum diligentia, mediocri flamma, & æquali, fumo omnino priuata vsq; ad debitam liquoris, aut aquę exhalationem; deinde exprimantur, & colo transfundantur denso, atq; spisso: at si decoctum Cassiam recipiat, aut aliud crassæ substantiæ, vt Mirobalani, Agaricum, & Rhabarbarum, sunt laxo, atq; raro colo, vel panno raro, vt Mesue cap. de Mellicrato; à Medicis enim desideratur crassa etiam substantia per colum transferri: maxime hoc agendum venit, si lentum, & mucosum fuerit decoctum. Post hæc si Moschum, aut Ambram, aut Opium, aut quid simile medicamentum in se contineat, pistillo cum aliqua portiuncula decocti dissoluantur, & læuigentur, & decocto immisceantur.

Quantitas aquæ in decoctione. Quantitas aquæ, in qua simplicia decoquuntur, sit varia pro diuersitate decoquibilium, & interdum pro determinata quantitate decocti, quæ desideratur à Medico,

Medico cui interdum addito ſaccharo, exempli gratia, Serapia parantur. Duriora enim, & craſſiora maiori copia aquę indigent, talia exſtant Ligna, Radices, & Frumentacea, vt Ordeum, vt, dum coquuntur, eorum vires in ipſam tranſmittantur, & ideo hæc coquenda ad conſumptionem duarum partium: Fructus, & Semina, ſi odorata non exiſtunt, paulo minori quantitate, vſquequo dimidium exhalet aquæ. Fructuum ſi determinatum ſit pondus, vel numerus, hi ſumantur nucleis priuati. Folia, & Herbæ, maxime ſi virides, & recentes ad conſumptionem tertiæ partis. At Flores, ſi ſolitarii, ad quartę partis diminutionem bulliant. hęc autem proportione quadam à duriori deſumpta agantur: etiam ſi hoc non ſit facile pro diuerſitate, & varietate foliorum cum foliis, & fructuum cum fructibus. Deſumitur præterea quantitas aquæ, in qua decoqui debent ſimplicia, à quantitate Decocti, quod requiritur ad tale Serapium conficiendum habita conſideratione ad Sacchari pondus ab autore præſcriptum; cum vt plurimum pro ſingula libra ſacchari quindecim, aut decem, & octo vnciæ, vel ſaltem duodecim decocti, aut ſucci accipiantur.

Fructus nucleis priuentur.

Aliqui

Aliqui pro quacumq; Seminum, aut Radicum libra, quatuor libras aquæ imponunt, & pro quattuor Manipulis herbarum exsiccatarum libras duas, & viridium vnam: attamen hoc à Mesue non seruatur.

Cap. de decoctione li. 1.

Sit igitur talis ordo à nobis præfixus in decoctis parandis à placitis tamen Illustrium Virorum, qui vetustiori sæculo Medicinam faciebant, desumptus, dummodo in descriptione alicuius Pharmaci à graui, & excellenti Medico instituta contrarium aliqua in re non adinueniatur, quæ Methodum iam dictam peruertere videatur; quoniam tali in compositione debent Pharmacopœi eius mandata ad vnguem exequi pro firmo statuentes aliqua causa impulsum hoc iussisse. & hæc satis; est enim ad exercitationem descendendum. Non est tamen ignorandum posse interdum illos, vt cap. de Decoct. ad mentem multorum demonstraui, omnia simul infundere, & per aliquod temporis curriculum macerare, & postea decoquere diligenter: at primus modus magis à nobis probatur.

Exerci-

Exercitatio circa Thymi Decoctum à Mesue descriptum.

℞ Alhasçæ, id est, Thymi, in cuius defectu Satureiæ, vt Dioscor.
Cassutæ, id est, Cuscutæ à vulgo.
Hyssopi ana vnc. j.
Passularum enucleatarum drach. xx.
Myrobalanarum Emblicarum,
Cepularum, id est, Chebularum ana vnc. j.
Turpethi drach. iiij.
Stæcados,
Polypodii ana drach. v.
Eupatorii, Eupatorium Mesue est Ageratum Dioscor.
Absinthii,
Sem. Anisi,
Dauci, eius loco semen Pastinacæ siluest. ana drach. iij.
Radicum Apii,
Fænic. ana drach. vij. *Ingred. xix.*

Coque omnia in lib. rribus aquæ ad duarum librarum consumptionem, cola, adde colato Turpethi, Agarici an. drach. j. Zingib. drach. mediam, macerari nocte sine, postridie cola, & vtere. Mes.

In Aquam primo iniiciantur Radices

Apii,

Apii, & Fæniculi ab internis medullis expurgatæ, & in frustula dissectæ, quo tempore & Polypodium cum Passis optime mundatis, post aliquod tempus semina Fæniculi, & Dauci, deinde folia, & herbæ, & Turpethum, & Myrobalani nucleis priuatæ deinde, & deniq; Cuscuta. drachma illa Turpethi, quæ Decocto per noctem maceratur, non sit ex illis quattuor, vt aliqui somniant. nec sint aquæ libræ quattuor; cum hæc omnia aduersentur mandatis Mes. qui reuera cognoscebat perfectissime naturam decoquibilium, & coctura terminum, nec non purgantium omnium facultatem. In defectu Agerati, quod Herba Iulia dicitur, ponatur Absinthium aut Asarum.

Errores aliquorum.

De Epithymi Decocto ex Mesue.

℞ Myrobalan. Indarum, id est, nigrarum.
Stæcados,
Epithymi,
Passarum à nucleis purg, an. vnc. j.
Myrobala. Cepularum, id est, Chebul.
Fumariæ ana drach. *iiij.*
Folliculorum Senæ drach. *viij.*

Polypo-

Polypodii drach. vj.
Turpethi drach. iiij.
Eupatorii, id est, Agerati Dioscor. drach. v.
Seri lib. iij. *Ingred. xiiij*

Omnia præter Epithymum coquantur in Sero (id est, Caprino) ad duarum librarum consumptionem, tunc adde Epithymum, & semel ferue fac; cola, frica in eo Hellebori nigri drachmam vnam, Agarici dimidiam, Salis Indi aureum, & vtere. Mes.

Coquantur secundum artem in Seri non quatuor libris, vt quidam affirmant, sed tribus, (vel omnia per noctem macerentur excepto Epithymo) quod in fine addatur decoctionis, & vnica ebullitione bulliat, quo quidem tempore nec Myrobalani, nec Sena, vt aliqui affirmant, iniicienda sunt, cum vnica ebullitione illi nec humescerent, nec Sena suas vires in decoctum diffunderet; cum mediocrem ferat decoctionem, Mes. teste, sed tempore aliarum Herbarum, & Myrobalani paulo post, contusæ tamen. Sint radices Hellebori medulla priuatæ, quæ vna cum Agarico, & Sale per noctē, vel per sex horas macerētur in decocto illo; deinde manibus fricētur, & colentur, & exprimātur per

Error nonnullorum.

Error aliquorum.

per noctem enim macerare iussit Turpethum, Agaricum, & Zingib. in decocto Thymi. Mes.

Decoctum Stæcados ex Mesue.

℞. Stæcados,
Origani ana drach. iiij.
Sem. Apii,
Fæniculi,
Eupatorii, id est, Agerati Dioscor.
ana drach. iij.
Schænuanthus,
Hyssopi ana drach. ij.
Turpethi albi, arūdinacei drach. iiij.
Passarum purgatarum drach. viij.
Aquæ communis lib. ij. *Ingred. x.*

Primò bulliant Passæ, postea Semina, deinde cetera folia, & denique flores ad dimidii exhalationem, & exprimantur, & colo traiiciantur. Passæ non sint ex illis, quæ à Zacyntho ad nos deferuntur; hæ enim minime à nucleis purgari possunt, sed Damascenæ, ne discedant, sicut multis in aliis, Seplasiarii à mandatis Mes. Diosc. & Gal. qui semper affirmant nucleos abiiciendos esse. Decoquitur ad dimidium; cum nec ligna, nec radices, nec

Error Seplasiar.

nec crassa substátia prædita in se recipiat.

Decoctum Commune pro Clysteri, cuius exemplo omnia decocta herbarum recentium parentur.

℞ Foliorum Maluæ,
Mercurialis,
Violarum,
Blitis ana Man. j.
Aquæ communis lib. j. ß. *Ingred. v.*

Folia dilacerentur, & disrumpantur, & bulliant ad exhalationem tertię partis, & colentur: aliqui addunt Parietariam, alii furfur, & aliqui Salis aliquam portiunculam.

Decoctum flatus discutiens, quod à vulgo dicitur Carminatiuum.

℞ Seminum Anisi,
Fæniculi,
Fænugræci,
Ameos, in cuius def. Anisi an. drach. iij.
Baccarum Lauri vnc. ß.
Florum Chamœmeli,
Stæcados ana M. ß.
Aquæ communis lib. ij. *Ingred. viij.*

 Bulliant

Bulliant ad conſumptionem dimidii ſecundum artem: alii alia addunt, vt Rutam, & Cuminum.

Decoctum Cardiacum, ſeu Cordiale.

℞. Glycyrrhizæ,
Tamarindorum ana drach. ij.
Vuæ paſſæ vnc. ß.
Zizipha,
Pruna,
Myxa, id eſt, Sebeſten ana nu. v.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Violarum ana Pug. j.
Aquæ communis lib. ij. *Ing. x.*

Radix dulcis incidatur, & cõtundatur, & ſecundum artem cum aliis fiat decoctio ad dimidium, in fine addendo poſt flores Tamarindos, poſtea colo raro trãſmittantur. Aliqui ante flores addunt drachmas duas Senæ, vel tres, & nonnulli imponunt Hordeum, quæ agenda non veniunt, niſi Medici imperent.

Decoctum Pectorale.

℞. Ficus nu. vj.
Zizipha nu. x.

Mixa

Mixa, id est, Sebesten nu. xv.
Hordei mundi,
Vuæ passæ ana vnc. j.
Glycyrrhizæ vnc. ß.
Capil. Veneris,
Hyssopi ana P. j.
Aquæ communis lib. iij. *Ingred. ix.*

Bulliant omnia secundum artem ad consumptionem duarum partium, vel altem dimidii; recipit enim Hordeum, quod indiget longa ebullitione.

Decoctum Hellebori à Montano descriptum.

℞. Omnium Mirobalanor. an. vnc. ß.
Olei Amygd. dul. fricatar.
Infundantur in vj. lib. aquæ calidæ, & macerentur per diem, & noctem, cui adde
Polypodii,
Epithymi,
Folliculorum Senæ an. vnc. iij.
Seminum citri,
Glycyrrhizæ ana vnc. ij.
Caryophyll. vnc. ß.
Corticum helleb. nig. dr. iij. *Ing. ix.*

Bulliant omnia simul secundum artem, epithymũ semina Citri cõtusa, Caryo-

phylli iniiciantur, & hellebori radices, absumatur aquæ dimidium, postea exprimatur, & coletur. vel hellebori radices post decoctionem omnium per noctem macerentur. Hoc decocto potest parari Serapium.

De aqua hordei ad mentem Mesue, vbi de Morbis Pectoris.

℞. Hordei optimi, mundi, detersi lib. j.
Aquæ communis lib. xx. circiter. *Ingred. ij.*

Decoquantur ad exhalationem dimidii, aut duarum partium spumam semper auferendo.

De Aqua Mellis ex Mesue, & prius à Paulo descripta, quæ dicitur Mulsa.

℞. Mellis optimi lib j.
Aquę fontanæ dulcis, & claræ lib. viij.
Ingred. ij.

Decoquantur igne lento, vase lapideo, vel vitreato, continuo despumando, deinde panno denso colentur. Mes. quantum aquæ absumendum veniat non decreuit;

creuit;

creuit; cum varii Medicorum ſint fines; at ſi mox per ſe bibenda, aquoſior fiat ipſo iubente. talis euadet, ſi quarta aquæ pars abſumatur. addunt nonnulli Aromata, & alii herbas, vt ſunt Saluia, Roriſmarini Folia, & Flores, & Betonica.

Poſcæ deſcriptio dilutæ.

℞. Aquæ communis lib. ij.
Aceti vnc. ij. *Ingred. ij.*

Miſce, ſi non ita dilutam cupis, ſint aceti vnc. iiij. ſi vigoroſiorem, ſint decem, ſed hoc ad Medicum.



DE TRITURANDI VERA RATIONE, ET CIRCA PULVERES,

Quos Recentiores Species quandoque vocant, Exercitatio.

Commentarium II.



NTER arida Pharmaca omnino humoris expertia Pulueres primum locum tenent, quę ab Actuario li. de Comp. Medic. & Lomema dicuntur, & à Græcis, ipſo referente, Xeria, quę forte Cataplaſmata Paulus ab inſpergendo appellauit. Recentiores autem, cum pulueres ex odoratis ſępe, & aromatis parentur, Species, nulla diſtinctione poſita, vocant. Circa triturabilia varia ſunt conſideranda, Natura, ſcil. rerum terendarum, Ordo in triturando ſeruandus, Modus, & quæ ſolitaria, vel aliis admiſta in puluerem redigenda ſint, quod ad naturam Simplicium reducitur; breuibus tamen verbis hæc agendá veniunt,

Quot circa triturabilia

unt, cum libr. 1. cap. de Triturandi ratione omnia longa oratione pertractauerim.

Cum igitur parata fuerint, & selecta omnia triturabilia diligẽti arte exsiccata, si humentia fuerint, aut clibano, aut ignis calore non æstuantis, aut Solis, vt cap. de Radic. & mortaria detersa, & pistilli, si ferrei, rubigine omnino priuati, vel si lignei, vt buxei, omnino mundati, hæc ratio seruanda erit in illis comminuendis.

Primò itaque in mortariis iniicienda, atque terenda quæcumq; crassa substantia, atque textura existunt, vt Ligna, Radices, Cortices, Nuclei, & alia, quæ quoquomodo ossea natura prædita sunt, & maxime si hæc erunt sub genere adstringentium.

Cum hæc crassiuscule contusa fuerint, illa addantur, quæ ictibus pistillorum cedunt, minimeque resistunt, vt Sericum, Pili, Lana, Spongia, Papaueris cortices, & Colocynthis, quæ prius tamen sint diligenter incisa, & exsiccata. *Ordo triturandi.*

Deinde quæcumque variis intertexuntur filamentis, atque membranulis, quanquam tenui sint substantia, ac resolubili, vt Cinnamomum, Casia, &

Agaricũ, & sic quæcũq; quoquomodo tenacia, vt Caryophylli; hæc enim à duritie iam negligenter contusorum defringuntur, & diuelluntur vnà cum pistillorum motu.

Postea Semina, si admodum dura non fuerint, vel oleaginosa; prima enim cum radicibus terantur; secunda vero optime à cortice mundata, & minimas in partes dissecta; cum ferè omnia fuerint trita, paulatim tamen addantur; quia à polline aliorum impediuntur, ne in oleum transeant.

Post hæc Herbæ, & Folia, inter quæ, si aliqua fuerint tenaci cortice, ac fibroso insignita, vt Cauda equina, cum radicib. comminuantur.

Fructus minutim incisi, & quoad fieri potest exsiccati, frustatim hoc tempore terantur, vt humiditatem illorum ad se rapiant alia iam trita, & sicca.

Gummi, Mastix, & Thus quoque iniicienda, prius tamen confracta.

Postremo Flores, exceptis nõnullis, de quib. inf. vt Stæcados, qui cauliculis obduris adhærentes ægre in puluerem rediguntur, & ideo cum duris imponendi.

Succi admodùm exsiccati, & frustatim incisi post herbas.

Metal-

Metallica, aut Lapilli pretiosi, aut cornu cerui vstum, post omnia iniiciantur; iam enim fuere hæc omnia solitarie læuigata, & ideo non egent longa trituratione.

Denique addatur, & Moschus, & Ambra ceteris iam cretis, sic & Auri folia accurate disrupta,

At si aliqua difficile cum aliis comminuantur, aut crassiori egeant attritu, aut facilius, & expeditius hoc agatur, & vigorosa seruentur, solitaria in puluerem vertantur, & aliis postea diligentissime misceantur. Hæc varia, atque multa existunt, vt Amygdalæ, Semina quattuor frigida, id est, Cucumeris, Cucurbitæ, Melonis, & Citrulli, prius excoriata, Gummi, Thus, & Mastix, ne tandem in placentam abeant, placide terenda pistillo. Sic & omnia purgantia, ne aliqua eorum partium integra manens totam compositionem contaminet, vt Scammonium, quæ vt plurimum placide pistillum ducendo, sunt terenda. Hoc pacto & Lapilli pretiosi iterum comminuendi.

Quæ sola terenda.

Purgantia solitarie terenda.

Hæc omnia à mandatis Antiquorum sunt desumpta, vt cap. de Tritur. li. 1. & ideo seruanda, dummodo aliqua in compositione aliquid diuersum ab his non reperiatur,

periatur, in qua penitus parendum est illius autori. Moschus, & Ambra sola cōminuantur placide tamen, vel cum aliqua portiuncula iam tritorum diligenter læuigentur.

Pulueres omnes, nisi à Medico imperante aliud sancitum sit, perfectissime sint comminuti, ac læuigati, quod præceptum nobis tradidit Gal. li. 1. de Antid. cap. 3. his verbis: *Sint admodum tenuissimi, vt ad intima permeent*, & ideo li. 8. per loc. hæc: *Tundito Cinnamomum, & Carpobalsamum, & angustissimo cribro excernito*; Vel per linteolum excernantur: vt 6. per loca, c. 4. Sed maxime adstringentia in puluerem tenuissimum redigenda, veluti 2. per genera c. 16. aliter detrimentum afferunt. Hoc quoque agendum est in purgantibus, sicuti cap. de Tritur. patefecimus.

Adstringentia diligenter terenda.

Error multorum circa purgantia.

Omnia cum trita, & creta fuerint, vase recondantur, ita vt ne transpirent, & euanescant, iubente Galeno lib. 8. per loc. cap. 3. quod maxime animaduertendum in gratum odorem redolentib. At de his hactenus.

Durant pulueres ad sex menses, ait Serapio.

Flores, qui ægre terantur.

Inter flores difficile comminuuntur Schænanthos, flos Stæcade, Violarum, Chamæ-

Chamæmeli, scil. Anthemidis, Matricariæ, Origani, Hiperici, & similes, & ideo in principio cum duris ponendi.

Inter Radices facile in puluerem vertuntur Angelica tenuis, Meu, Spica Celtica, Hermodactili, Pentaphilli radix, Assarum, Turpethum, Mechiocham, & similia. *Radices quæ facile.*

Inter Herbas ægre teruntur Cauda equina, Absinthium, Anethum, Marrubium, Carduus Sanctus, Fumaria, Poligonus, Folia Myrti, & Sabinæ. *Herbæ quæ difficile*

Inter Gummi hæc possunt teri, Bdellium, Euphorbium, Mastix, Sarcocolla, Thus, Myrrha, & Tragacanta, pistillo tamen læuiter, & placide ducto.

Descriptio Specierum de Galanga à Mesue, vbi de Confectionibus, & circa eas Exercitatio.

℞. Galangæ,
Ligni Aloes ana drach. vj.
Caryophyl.
Macis,
Keisin, i.e. Ligustici ana drach. ij.
Zingiberis,
Macropiperis, i. e. Piperis longi,
Cinnamomi,

Piperis

Piperis albi,
Calami aromatici ana drach. j. ß.
Calaminthes ſiccæ, vel Mentaſtri eius defectu.
Menthæ ſiccæ.
Heyl, id eſt, Cardamomi maioris,
Spicæ,
Sem. Apii,
Fæniculi ana drach. j.
Sem. Carui, eius loco Cymini,
Aniſi ana drach. j.
Sacchari albi drach. x. *Ingred. xix.*

Galanga, lignum Aloes, Caryophylli, Cinnamomum, Calamus odoratus, Zingiber ſimul terantur, incipiendo à Galanga, cum ſemitrita fuerint, addantur Semina, & Piper paulo poſt, & Cardamomum, & Macis, & denique herbæ, & ſaccharum, & ſubtili cribro traiiciantur interdum, antequam omnia perfecte ſint comminuta, ne ſubtiliores partes diſſipentur, & euaporent. Non inutile erit horum quædam prius in varia fruſtula ſecare, & præcipue quæ fibroſa, vt Zingiber; ſicuti etiam aliqua per ſe terere neceſſarium.

De Spe-

De Speciebus Diamoschi dulcis ex Mesue, & Exercitatio.

℞. Croci,
Doronici, in eius def. Nucis mosch.
Zedoariæ,
Ligni Aloes,
Macis ana drach. ij.
Margaritarum albarum,
Serici crudi vsti,
Electri, id est, Charabe,
Corallii rubri,
Galliæ Moschatæ,
Ozimi citrati, id est, Sem. Basilici ana drach. ij. ß.
Been albi, & rubei, in eorum def. Cort. Citri.
Folii, vt Cinnamomi,
Spicæ Nardi,
Caryophyllorum ana drac. j.
Zingiberis,
Cubebæ,
Piperis longi ana drach. j. ß.
Moschi Script. ij. *Ingred. xx.*

Primo Zedoaria, lignum Aloes, Caryophylli, Zingiber, Doronici, vna terantur; deinde Cubebæ, & Piper, & postea Ozimum, Folium, & Spica Nardi, post

hæc

hæc Macis, & Crocus, deinde Sericum leuiter assatum; Corallia, & Margaritæ super cotem paratæ iterum lęuigatæ, & Electrum per se tritum. Postremo Gallia, & Moschus solitaria comminuta, & illis diligentissime admista, quæ postea omnia cribro excutiantur. Possunt Moschus, & Ambra cum aliqua portiuncula iam tritorum læuigari. At multi auaritia impulsi hæc non imponunt.

Error multorum.

De speciebus confectionis de Gemmis ex Mesue, & circa has Exercitatio.

℞. Margarit. alb. drach. ij.
Saphiri,
Hyacinthi,
Sardinis,
Granatorum,
Smaragdi ana dra. j. ß.
Zedoariæ,
Doronici, Cubebæ eius loco,
Corticum Citri,
Macis,
Sem. Ozimi Caryophyllati ana drach. ij.
Corallij rubri,
Electri, id est, Charabæ,
Limaturæ Eboris ana script. ij.

Been

Been albi, & rubri, in defectu Buglossi radic.
Caryophylli,
Zingiberis,
Piperis longi,
Spicæ Nardi,
Folii, vel Cinnamomi foliorum,
Croci,
Cardamomi ana drach. j.
Trochiscorum Diarhodon,
Ligni Aloes ana drach. v.
Cinnamomi,
Galangæ,
Zurumbet, loco eius, vt à Serap. elicitur, Casia lignea, vel ponatur Zedoaria ana drach. j. ß.
Auri
Argenti foliorum ana aur. ß.
Moschi drach. ß.
Ambræ drach. ij. *Ingred. xxxij.*

Zedoaria, Galanga, lignum Aloes, Caryophylli, Cinnamomum, Zurumbet, seu Zedoaria, Zingiber, Beē rubrum, & album, cortices Citri, & Doronicum simul terantur à primis incipiendo, postea Cardamomū, & Piper, deinde foliū Spica Nardi, semina Ozimi & Macis, & post hęc Limaturæ Eboris, Electrum. & Crocus, his addantur

addantur Gemmæ per ſe comminutæ, & Trochiſci Diarhodon, ſic Moſchus, & Ambra, & Auri, Argentique folia dilacerata, atq; diuulſa.

Species Diarhodonis ex Meſue deſcriptione, quæ à nobis laudatur.

℞. Roſarum rub. dr. xxx.
Trochiſci Diarhodi,
Trochiſci ex Spodio,
Glycyrrhicæ, an. vnc. ß.
Caryophyllorum,
Trium Santalorum,
Galliæ moſchatæ, an dr. iij.
Spodii ex Ebore aduſto, & parato,
Croci,
Maſtiches,
Ligni Aloes, ana dr. ij.
Aſari, id eſt Baccharæ,
Spicæ Nardi,
Macis,
Cardamomi, ſcil. maioris offic. ana drach. j.
Sem. Portulacæ,
Lactucæ,
Scariolæ, quæ dicitur Serreos, ſpecies Endiuiæ, an. dra. j.
Sem. Cucumeris,
Cucurbitæ,

Melo-

Melonis,
Citrulli, id est Anguriæ,
Margarit. alb.
Ozimi Caryophylli, id est Basil.
Rasuræ Eboris,
Tragachanti,
Gummi Arab. ana drach. j.
Caphuræ dr. j. ß.
Moschi script. ß. *Ingred. xxxij.*

Terantur secundum artem, & leni quantitate conficiatur, ne semina illa totum Pharmacum contaminent.

Alia desumpta à Nicolao.

℞. Santalorum Alborum,
Rubeorum, ana drach. ij. ß.
Tragacanthi,
Gummi Arab.
Spodii, ana script. ij.
Asari, id est Bacchatæ,
Spicæ Nardi,
Mastiches,
Cardamomi,
Croci,
Ligni Aloes,
Caryophylli, ana script. j.

Galliæ mosch.
Sem. Anisi,
Fæniculi,
Cinnamomi,
Succi Glycyrrhizæ,
Rhabarbari,
Sem. Berberi,
Ozimi, id est Basil.
Scariolæ,
Portulacæ,
Cittulli, id est Anguriæ,
Cucumeris,
Melonis,
Cucurbitæ, ana script. i.
Margaritarum,
Ossis de corde Cerui, ana script. ß.
Rosarum rub.
Sacchari candidi, ana vnc. i. & drach. iij.
Caphuræ gr. vij.
Moschi gr. iij. ß. *Ingred. xxxij.*

Santala, lignum Aloes, Caryophylli, Cinnamomum, & Os de corde Cerui in vnum terantur; postea iniiciantur semina Anisi, & Fęniculi, deinde Asarum, & Rhabarbarum, Spica Nardi, Mastix, Cardamomum, & Spodium, & Berberi, & semina illa paruula, & postea Rosæ, & cum

rum hæc sunt ferè comminuta Glycyrrhizæ succus, & semina illa maiora cortice priuata, & minutim incisa; à tritis enim illis, & aridis humida illa vnctuositas absumitur. Denique solitaria diligenter detrita Gallia, Caphura, & Moschus, & Tragacantha; & Gummi, vel etiam Crocus. Sed Moschum non iniiciunt multi auaritia ducti.

Error Seplasiariorum.

Species Aromatici Rosati Gabrielis, referente Mesue.

℞. Foliorum Rosarum drach. xv.
Glycyrrhizæ rasæ drach. vij.
Ligni Aloes,
Santalorum citreorum, ana drach. iij.
Cinnamomi drach. v.
Macis,
Caryophylli, ana drach. ij. ß.
Gummi Arabici,
Tragacanthi, ana drach. ij. & script. ij.
Nucis moschatæ,
Cardamomi,
Galangæ, ana drach. i.
Spicæ Nardi drach. ij.
Ambræ script. ij.

Moſchi ſcript.j. *Ingred.xv.*

Fiat puluis, vt eſt artis. Quis Moſchum imponit?

Species Aromatici Moſchati Meſue.

℞. Ligni Aloes drach.vij.
Darſeni, id eſt Cinnamomi craſſi drach.x.
Ambræ drach.iij.
Moſchi ſcript.ij. *Ingred.iiij.*

Lignum Aloes, & Cinnamomum vnà terantur priùs in fruſtula diſſecta, Ambra, & Moſchus per ſe, & diligenter confundantur.

Species Aromatici Caryophyllati Meſue.

℞. Caryophyllorum drach.vij.
Macis,
Zedoariæ,
Galangæ,
Santali Citrei,
Trochiſcorum Diarhodon,
Cinnamomi,

Ligni Aloes,
Spicæ Nardi,
Piperis longi,
Cardamomi, ana drach.j.
Rosarum vnc.ß.
Glycyrrhizæ,
Galliæ mosch. ana drach.ij.
Folii, vt Cinnamomi,
Cubebæ, ana script.ij.
Ambræ drach.j.
Moschi script.ß. *Ingred.xviij.*

Terantur.

Species Diacymini Mesue.

℞. Cymini pridie in aceto macerati, & siccati drach.dr.x.
Zingiberis,
Cinnamoni, ana vnc.ß.
Caryophylli,
Ligni Aloes,
Macis, ana drach.ij.ß.
Galangæ,
Piperis longi,
Cardamomi, ana drach.ij.
Moschi script.ß. *Ingred.x.*

Fiat puluis, vt est artis.

Species Dianisi.

℞. Anisi drach. xx.
Glycyrrhizæ,
Masticʰes, ana vnc. i.
Sem. Fœniculi,
Carui,
Macis,
Galangæ,
Zingiberis,
Cinnamomi, ana drach. v.
Trium Piperum, scilicet albi, nigri, longi,
Calaminthes, aut Nephitæ eius loco,
Pyrethri,
Casiæ officinarum, ana drach. ij.
Cardamomi,
Caryophylli,
Cubebarum,
Croci,
Spicæ Nardi, ana drach. i. ß.
Sacchari vnc. ij. *Ingred. xxi.*

Fiat puluis.

Species Diambra Mesue.

℞. Cinnamomi,

Doronici, corticum Citri eius loco,
Caryophylli,
Macis,
Nucis moschatæ,
Folii, in eius def. folia Cinnamomi, vel cortic. Citri
Galangæ, ana drach. iij.
Spicæ Nardi,
Cardamomi vtriusque, ana drach. i.
Zingiberis drach. i. ß.
Santali citrei,
Ligni Aloes,
Piperis longi, ana drach. ij.
Ambræ aur. i.
Moschi drach. ß. *Ingred. xv.*

Subtilissimè terantur, & cribro excutiantur tenui,

Species trium Piperum Mesue, quæ Conf. Diatrion Pipereon dicitur.

℞. Trium Piperum, ana au. v. vid. albi, nigri & longi,
Zingiberis,
Thymi,
Anisi, ana aur. ij.

Spicæ Nardi,
Amomi, in def. Caryoph. vel bac. Iunip. a. aur. j.
Casiæ,
Asari, id est Baccharæ,
Enulæ siccæ,
Seminis Apii,
Seseleos cõmunis, ana aur. ß. *Ing. xiij.*

Fiat puluis, vt est artis, vel crassiusculus, vel tenuissimus ad Medicorum voluntatem.

Eadem à Galeno quarto de sanit. tuen. cap. 5.

℞. Trium Piperum drach. quinquaginta.
Anisi Cretici,
Thymi Attici,
Zingiberis non pertusi, ana dr. viij.
Ingred. vj.

Error aliquorum.

Omnia simul tundantur, & per tenue cribrum transmittantur. Hæc ille, non per rarum, vt multi balbutiunt.

Species Diacalaminthes Gal. eodẽ lib. c. 7. descriptæ, & modus parandi.

℞. Calaminthes Cretensis, eius def. Mentastri.

taſtri,
Pulegii Cretici,
Petroſelini Macedonici, vel cõmunis,
Seſeleos Maſſilienſis, vel Sileris mont.
ana vn.ij.
Sem. Apii,
Cacuminũ Thymi Cretici, ana vnc.iiij.
Libyſtici, vel Liguſtici vnc.xvj.
Piperis v. octo & quadraginta. *Ing. viij.*

Atque Herbarum quidem quidquid lignoſum, durumq; eſt, id abiiciendum: accipienda verò ad medicamentum folia, atque ex his maximè, quæ ſubtiliſſima, virentiſſimaque ſunt, atque in ſummis herbis nata : ad hæc flores, & quæcumque cum iis ſunt vnà, minutiſſimas, tenuiſſimasq; feſtucas. Hæc omnia ſimul tundenda, cribrandaq; ſunt tenui cribro, vt per vniuerſum corporis habitum medicamentum digeratur. Hæc Gal. qui hæc duo Pharmaca Melle in formam Electuarii parabat. At aliqui propria ſententia ducti affirmãt hæc craſſiuſculè terenda eſſe. *Error aliquorum.*

Species Pliriſarcotici Nicolai.

℞. Cinnamomi,

Cary-

Caryophylli, ana drach. i.
Ligni Aloes,
Galangæ,
Spicæ Nardi,
Nucis moſchatæ,
Zingiberis,
Spodii, ſcilicet ex Ebore,
Schænanti,
Cyperi,
Roſarum,
Violarum, ana drach. i.
Folii, eius loco Caryoph. fol. vel Citri.
Glycyrrhizæ,
Maſtiches,
Styracis,
Sanſuci, id eſt Maioranæ,
Balſamitæ, id eſt Mentæ aquaticæ,
Seminum Ozimi,
Cardamomi,
Macropiperis, id eſt longi,
Leucopiperis, ſcilicet albi,
Myrtillorum,
Corticum Citri, ana ſcript. ij. & gr. v.
Gemmarum omnium,
Been albi, & rubei, in eius def. rad. Bugl. & Bor.
Coralli,
Serici aſſati, ana ſcript. i. gr. ij.
Moſchi gr. vii. & ß.

Ca-

Caphuræ gr.v. *Ingred.xxx.*

Fiat puluis cum rebus duris, ac aridis immiſcendo Violas, & flores Schænanthos: ægrè enim, cum piſtillis cedant, minuuntur, ſicut Cyperi, & Nux moſchata cum herbis.

Species Diamargariti Calidi Nicolai.

℞. Caryophylli,
Cinnamomi,
Spicæ,
Galangæ,
Ligni Aloes,
Glycyrrhizæ,
Trochiſci Diarhodon,
de Violis, ana drach.i.ß.
Nucis moſchatæ,
Macis,
Aliptæ, ſcilicet Moſchatæ Confect.
Zedoariæ,
Rhabarbari,
Styracis calamitæ, ana drach.i.
Margaritarum perforatarum,
& non perforatarum,
Zingiberis,

Oſſis

Oſſis de corde Cerui,
Raſuræ Eboris,
Blactæ Byſant. i. Vngulæ odoratæ, ana drach.ß.
Moſchi,
Ambræ,
Cardamomi,
Leuiſtici, ana ſcript.i. minus gr.ij.
Sem. Ozimi Caryoph. id eſt Baſil. ana ſcript.i. minus gr.ii.
Caphuræ gr.vi. *Ingred.xxvj.*

Terantur, vt eſt artis.

Species Frigidi.

℞. Trium Santalorum,
Violarum,
Sem. Melonum,
Trochiſcorũ Diarhodon, ana drach.*ij.*
Serici aſſati,
Oſſis de corde Cerui,
Spodii, ex Ebore paràti,
Florum Boraginis,
Bugloſſi, ana drach.*j.*
Raſuræ Eboris ſcript.*ij.*
Margaritarum drach.i.ß.
Sem. Oxalidis, id eſt Acetoſæ,

Ozimi

Ozimi Caryophyl. ſcribet Baſil.
Lactucæ, ana drach. ß.
Ligni Aloes,
Ambræ, ana gr. x.
Caphuræ gr. xx.
Folia auri nu. xv. *Ingred. xvij.*

Fiat puluis, vt eſt artis.

Species ex tribus Santalis Nicolai Salernitani.

℞. Trium Santalorum,
Roſarum rub.
Sacchari, ana drach. ij.
Rhabarbari,
Spodii ex Ebore,
Succi Glycyrrhizæ,
Sem. Portulacæ, ana drach. i. ß.
Amyli,
Gummi Arabici,
Tragachanti, ana drach. i.
Sem. Melonis,
Cucumeris,
Scariolæ,
Citrulli, ana drach. i. à cortice priuati,
Caphuræ ſcript. i. *Ingred. xvij.*

Triturentur diligenter simul, vel multa per se sola, si sit vtilius, & expeditius.

Species Cardiacæ, vel Cordiales temperatæ ad Epithemata paranda.

℞. Florum Boraginis,
Buglossi,
Violarum, ana drach. i.
Rosarum rubearum,
Trium Santalorum,
Corticum Citri, ana drach. i. ß.
Serici crudi drach. ß.
Croci script. i. *Ingred.* ℈.

Fiat puluis.

Aliæ Calidæ.

℞. Rosarum rub. vnc. iii.
Santalorum rubeorum,
alborum, ana vnc. ij.
Been albi, & rubei, in def. radicis Pastinacæ, sed melius Buglossi.
Doronici, in def. Macis,
Corallii rubei,
Corticum Citri,
Ossis de corde Ceruj,

Seri-

Serici, ana drach. iiij.
Ligni Aloes,
Caryophylli,
Croci, ana drach. ij. *Ingred. xiij.*

Terantur subtilissimè.

Aliæ per os desumendæ temperatæ, quæ à nobis probantur.

℞. Corallii rubei,
Spodii, id est ex Ebore
Ossis de corde Cerui,
Terræ Lemniæ, aut Sigillatæ, ana drach. ß.
Margaritarum præparatarum,
Cornu Cerui vsti, ana drach. j.
Trium Santalorum, scilicet alborum, citrinorum, & rubeorum,
Rosarum rubearum,
Florum Buglossi, ana drach. ij. ß.
Corticum Citri, aut eius florum exsiccatorum dr. ij.
Folia auri nu. x. *Ingred. xiij.*

Omnia secundum artem in puluerem quam tenuem redigantur.

Puluis

Puluis Senæ Montagnanæ.

℞. Senæ elect. drach. xij.
Zingiberis,
Macis, ana drach. iij.
Cinnamomi,
Tartari albi, id est Vini fæcis densatæ, ana drach. i. ß. *Ingred. v.*

Subtilissimè terantur.

Puluis sanguinis fluores adstringens, quem Constrictiuum dicunt.

℞. Boli Armeni,
Gypsi,
Rosarum rubearum,
Balaust. ana drach. i.
Foliorum Myrti,
Gallarũ immatur. ana drach. i. *Ing. vj.*

Fiat puluis, vt est artis, tenuissimus. Paratur à Gal. lib. 5. Meth. c. 4. quæ constat ex vna parte Thuris, media Aloes, & pilis Leporis.

Puluis

Puluis ad caput roborandum.

℞. Stæcados,
Betonicæ,
Saluiæ,
Calamenti,
Florum Rorismarini, ana drach. i. ß.
Ligni Aloes,
Caryophyllorum,
Nucis Myristicæ, i. Mosch. ana dr. i.
Ingred. viij.

Diligenter læuigentur.

Puluis Hermodactylorum.

℞. Hermodactylorum drach. vj.
Sem. Anisorum,
Apii,
Cinnamomi, ana scrip. ij. *Ingred. iiij.*

Hermodactyli sint albi colore; niger enim color eorum, vel rubeus lethalis est, si Serap. lib. Simp. Hist. est credendum. Post omnia terantur subtiliter.

DE RATIONE ZVLAPIA, AC SERAPIA PRÆPARANDI,

COMMENTARIVM III.

Quid serapium, & quæ eorum materia; unde de Sacchavo, Sapa, & Melle quædam narrantur. *Cap. I.*



ERAPIVM, *aut Zulapium barbara voce solemus nominare quod cum Melle, aut Sacharo, aut Sapa decoctum ad bibendum prebemus.* Hanc descriptionem ad litteram reliquit posteritati Actuar. lib. de Comp. Med & ideo à Græcis potiùs Potiones dulces appellantur, atque suaues, inter quas Confectio de Moris, ac de Capitibus Papaueris, & Oxymel, & Hidromel, & alia multa à Gal. descripta collocantur.

Tria attulit in medium Actuarius, quę exstant

exstant tanquam materia, cui admiscentur aut Decocta, aut Infusa, aut Stillatitia, aut Succi, ex quibus Serapia parantur: Sunt hæc Saccharum, Mel, & Sapa, at quoniam non ex quocumque Saccharo, aut Melle, aut Sapa est consonum rationi hæc parari; ideo à nobis narrandum erit, duce tamen semper aliquo nobilium, ac veterum Scriptorum, qualia inter hæc seligenda veniant, & quomodo paranda, vt accommodata sint ad hæc non tantùm conficienda, sed etiam ad Electaria, ceterasque Confectiones, quæ talibus indigent.

Sit Saccharum purũ, ac album, vt Mesue placet c. de Syrupo acetoso: sed quoniam tale etiam in se continet adhuc aliquas partes impuras, & crassas, nos docet modum depurandi illud his verbis: *Accipe Sacchari boni, & albi partes quinque, aquæ fontis dulcis, & claræ partes quattuor, decoquantur in vase lapideo semper spumam abyciẽdo, donec clarificetur, ignis sit prunarum, aut tenuis flãmæ sine fumo*. Tale postea erit decoquendum & ad Zulapii, aut Serapii formam: Recentiores, vt faciliùs, & citiùs depurẽt & Saccharũ, & Mel, iniiciũt vnum aut duo, ouorum albumina secundùm quantitatem & Sacchari, & a-

Saccharum quale.

Depurandi modus.

N 2 quæ,

quæ, vel ſucci, vel liquoris, quæ poſtea ſimul exagitant diligenter, & coquunt ſpumam continuò auferendo, qui quidem modus depurandi à Meſue, vt legitur, non fuit obſeruatus, nec ab Albucaſi; fortè enim timebant, nec præter rationem, ne aliquá qualitas ouorum communicaretur liquori. Diſcant Pharmacopolæ à dictis Meſue auaritia penitus neglecta aſſumere Saccharum purum, & album; vt Pharmaca poſtea ſint & ſuauiora, & gratiora, & puriora, & præterea vt per longum temporis curriculum ſeruentur, ne acida fiant, quod ſæpè euenit Syrupis, qui ab ipſis conficiuntur, necnon etiam Zulapiis, quæ turbata non rarò ob Sacchari ſedimenta conſpiciuntur, vel ob nouam ebullitionem ſpumantia; & ideo à miſeris infirmis, vt inſuauia, & nauſeam mouentia reſpuuntur; vnde coacti ſunt Medici inuitis Seplaſiariis d luta inſtituere.

Error multorum.

Mel deligatur, quod ſit colore flauo, odore ſuaui, totum perlucidũ, guſtanti parũ acre, iucundiſſimumque, præterea ſibi cohæreat, vt ſi digito attollatur, cõtinuũ ſit ſibi, nec interciſum ad humum fluat. Hæc Galenus 7. Meth. cap. 6. & 1. de Antid. cap. 2. & 4. quo reprobat vetus, & admodum recens, quæ omnia ferè narrantur à Dioſc. lib. 2. cap. 39.

Mel eligendum.

39. Modum depurandi, ac elixandi reliquit scriptum Gal. 3. de Alim. facult. sic: *Aufertur acrimonia à Melle, si primùm multum illi aqua admiscuerimus, deinde tãtisper coxerimus, quod spumare desinat. Oportet autem spumam statim, vt emerserit, continenter ab ipso tollere, quod Mel elixum appellamus, coctum autem dicitur, quod sine aqua.* Decoquebat Paul. lib. 6. c. 15. vel elixabat, vsquequo spumosum, ac cerosũ supernatabat. Terminũ decoctionis tradidit 2. ad Glauc. c. 8. ita: *Elixatur autem ad Emplastri consistentiam: oportet enim ipsum, nec adeo durũ esse, vt difficulter labatur, nec ita humidũ, vt circumfluat. Coquitur autem Mel, & curiosè despumatur super prunas ex quercu, viteve ad summũ candentes, quo minus sit excrementitiũ,* vt 7. Meth. c. 6. Quantitatem spumæ auferendæ decreuit 4. de sanit. tuen. c. 6. his verbis: *Optimum vero, vt breuissimo tempore coquitur, ita minimũ spuma euenit: vnde nec pari coctione ei est opus, plurimũ certè quartã partẽ eius, quod ab initio est inditũ, amittit.* Curiosè autem, id est diligenter in medicamentis est despumandũ, sicuti c. 7. Immo & duplici vase in Pharmacis Arteriacis, vt 7. per loc. c. 2. Cognouerunt Græci Scriptores etiam & Saccharum, etiamsi, vt le-

Mel quomodo elixatur

gitur, apud ipsos in medicamentis conficiendis, non erat in vsu, sed tantummodo Mel. Hoc cognouit Dioscor. sicuti cap. de Melle, vbi scribuntur hæc: *Est aliud Mellis genus, quod Saccharon nominatur, in India verò, & Felici Arabia in arundinibus inuenitur Salis modum coactum, dentibus, vt Sal, fragile.* Quæ omnia Galen. lib. 7. Simpl. confirmauit, & addit. Porrò quatenus nec inimicũ est stomacho, ceu nostrum Mel, nec sitim afferens, eatenus ab illo substantia differt.

Saccharũ à Græcis cognitum.

Est Sapa mustũ coctũ, lenissimum Pharmacum, & maximè meatus oblinens, quod à Græcis in nostra Asia Hepsima appellatur. Hæc 7. de Cõp. Med. per loc. cap. 1. *Id nihil vinosum habeat quale nõ ex austerarũ vuarum, sed quammaximè dulcium musto paratur, nec ex primo fluente, sed postremò, si igitur tale mustum extiterit, coquendum ad dimidiam partẽ, vel ad tertias, (scilicet duarum partium consumptionem.)* & hæc 3. de Comp. per genera, cap. 2.

Sapa quomodo paretur.

De modo Zulapia, & Serapia parandi, ac conficiendi.

Cap. II.

GEnera multa Syruporum proposuit Mesue Distinctione sexta his verbis:

Syru-

Syrupus aut simplex est, vt Iuleporum species, vel ex multis compositus. Item aliqui Syruporum sunt species Oxymelitis, alij etiam Aromata recipiunt, quæ Condita dixit, inter quæ enumerauit aquam Mellis, Oxymel, Vinum mulsum, Acetum scillinum, & tandem Succos quosdam densatos, quos Rob, aut Robub vocauit. Nos autē facilioris narrationis gratia necnon etiam intelligentiæ, aut instructionis duo statuemus Serapiorum esse genera: primum, quod ex stillatio, aut infuso, aut succo, aut herbarum decocto paratur: secundum, quod ex multorum decocto, val aridorum tritorum receptione conficitur.

Prima illa, quæ ex aqua exempli gratia rosarum, aut infusione componūtur, Zulapia à nobis etiam dicuntur, quæ ex tribus libris aquæ, aut infusionis, & duabus Sacchari, docente Mesue, optimè depurati, & clarificati parantur, diligenter decoquendo, & spumam remouendo ad debitam consistentiam, vt Actuario placet lib. de Comp. Med. vel ad Mellis compagem liquidioris, veluti Act. Ser. 5. Ignis fit prunarum, aut leuis flamma sine fumo, imperante Mesue, debitè autem decocta existunt, cum solùm (loquor de Zu- *Zulapia*

lapiis) ex vna libra decocti, aut aquæ manent vnciæ quattuor, si aquosa, & diluta illa desideramus. At si ad formam veri, ac decocti Syrupi talia decoquere volumus, solùm vnciæ tres & vix, vt quotidiana experientia demonstrat, seruantur. At in Serapiis, quæ crassa in se recipiunt, vt Myrobalanos, Aromata, Tamarindos, Cassiã, & similia, manent vnciæ sex pro qualibet Sacchari libra circiter. Sicut Zulapia parãtur, sic & Syrupi, qui ex Succis, aut Infusione, qui Simplices vocantur. Sumitur enim libra vna cum dimidia Succi optimè depurati, & ad dimidium decocti, vt cap. de Succis patefecimus, & Sacchari albi depurati libra vna, & decoquuntur spumam abiiciendo ad exhalationem quindecim ad minus succi vnciarum. Sed si diligenter Mesue verba perpendamus potiùs maiorem copiam succorum imponit, quàm secus, veluti in Syrup. de Pomis libras quinque succi depurati, & tres Sacchari, cuius exemplo multa Serapia conficere iubet: attamen in tanta quantitate solùm libræ dimidium excedit regulam illã. At in Syrupo de acetositate Citri, qui est tanquam exemplar Syrup. de Omphacio, & de Myrto, decreuit accipiendas esse libras septem Succi clarificati, &

Syrupi coctura.

Succi sine decocti quibus Serapia parantur.

& quinque Iulepi clari, & depurati: vnde videre licet non ſemper accipere eamdem quantitatem, attamen paulò à prima diſtantem. At Aet. Ser. 3. in deſcriptione Mellis roſacei purgantis ponit lib. vnam Mellis, & vnam Succi roſarum, & decoquit ad Mellis compagem. Sed Gal. 6. de Comp. Med. per loc. cap. 1. vbi de Med. ex ſucco Mororum ponit libras quinque Succi, & vnam Mellis; attamen ſi aliquis dulcioribus delectatur, plus Mellis iniiciatur. Si verò nulla inueniatur deſcripta quantitas aut Succi, aut Decocti, aut Infuſionis, ſit ſemper liquoris vna libra cum dimidia pro ſingula Sacchari libra, quæ coquantur ad conſumptionem quindecim circiter vnciarum. At in illis, quæ in ſe admittunt aliquam ſubſtantiam craſſam, vt plurimùm maneant ſex vnciæ pro ſingula Sacchari, & Mellis libra.

Si ex Decoctis Syrupi parentur, vel ſeruandus eſt ordo decoquendi ſecundùm naturam Simplicium, quem capite de Decoctionibus, & Decoctis propoſuimus; aut omnia ſimul infundenda, & poſtea coquenda, niſi aduerſetur hoc Scriptorum ſententiæ, quod obſeruauit Meſue in Syr. de Glycyrrhiza, de Abſin-

ſinthio, Adianto, Syr. acetato Diarhodon, & in Oxymeli purgāti melancoliam, in quibus macerat multa diuerſi generis, quorum quædam longam poſſunt ferre coctionem, & quædam breuem, & quorum aliqua ſunt purgantia, vt Agaricum, Polypodium, & Stæcados, quod ſæpe etiam inſtituit Haly, vt in Syrup. Candari. Vel lenientia, vt Caſſia, Manna, & Tamarindi, ſi hæc recipiat Syrupus, ſicut etiam purgantia, veluti Rhabarb. & Hellebori radices prius in aliqua portione liquoris macerata in fine Decocto addantur, & colo laxo tranſmiſſa, & expreſſa cum Saccharo depurato coquantur; quod fortè præcepit Meſue in Syr. de Fumaria, qui recipit & Caſſiam, & Tamarindos, & Myrobalanos; hæc enim omnia in Decocta & expreſſa decoquere iubet cum ſucco Fumariæ, & Saccharo. Vel dicta in aliqua parte Decocti colati diſſoluantur, & macerentur, & colo raro traiiciantur, & aliis liquoribus addantur, quod interdum ille imperauit, vt in Tr[i]phera Perſica, quæ paulatim, & paulatim, dum Syr. coquitur, addantur. Aut purgantia, vt Scammonium, Hellebori radix, Agaricum, Turpethum, & Carthami ſemen,

men, prius confracta, panno lineo, raro, & laxo ligata, in Syrupo, dum decoquitur, mersa sæpe confricentur, quorum omnium meminit Mes. vbi de variis generibus Oxymelis, & de Infus. c. 74. cuius vestigia sequentes possumus nodulo imponere & Rhabarbarum, & similia; priùs tamen frangantur, & Decoctis irrorentur, vt faciliùs eorum tenuior pars, & facultas foris, dum confricantur, labatur; vel hæc tenuissimè leuigentur, & Syr. addantur; vel cum aliqua portiuncula illius dissoluantur, & in fine coctionis illi admisceantur; parùm tamen bulliant, & maximè Scammonium, vt placet Aetio.

Si Acetum recipiat, quod quantitate sit paucū, in fine addatur, imperante Mes. in Syr. de quinq; radicibus, & acetato: At si multum sit, inchoante coctione, vt in Oxymeli de radicibus, & de Ligustico: et si in Syrupo acetato cholagogo in fine addit aceti lib. ij & succi Granatorum lib. i. ß. & percoquit igni lento.

Si Penidia, vel Mel, vel Sapam Syrupus recipiat, vnà cum Sacchаro, & liquoribus ponatur, quod seruauit Mes. in Syr. de Glycyrrhiza.

Nodulo detentus ebulliendus est Crocus, & inter coquendum fricandus,

vt Mesue, vel hic addatur, cum aufertur Syrupus ab igne, optimè comminutus, vt Auic. lib. 5. S. 1.

Possunt & nodulo imponi Gummi, & Semina viscedinem continentia, de quib. iam diximus, vbi de Decocto, si ægri lentorem Serapii fugiant, talia sunt semina Cydoniorum, Maluæ, & Tragacanthi.

Aromata, quæ Serapia ingrediuntur, aut macerentur per duos dies parùm cõtusa, deinde Saccharo coquantur illa infusa, aut nodulo inclusa in Syrupo decoquendo suspendantur: Fricare autem oportet sæpe eum, donec crassescat. Hæc habemus à Mesue, vbi de Condito Cydoniorum, & Citri.

Si Moschus, & Ambra, aut Gallia, quæ etiam ab Arabib. inter Aromata locantur, aut Caphura in Syrupis ponenda erunt, postquam optimè decocti fuerint, & diligenter clarificati, accuratè illa læuigata non contundendo, sed pistillum leuiter exagitando, & ad latera ducendo in ipsos iniiciantur: Mes. præceptum, sed priùs ab igne illi remoueantur, vt Auic. loco iam citato, & Serap. & Haly, qui iubet dissoluere interdum hæc Melle, & nos aliqua portiuncula ipsius Serapii affirmamus: aut cum Sacchari aliqua parte terere.

Si

Si optimè fuerint decocta, & loco conuenienti reposita seruantur Serapia ad duos annos, teste Serapione in Antid.

De Iulepi Rosati descriptione Mesue, quod Serapium à Recentioribus vocatur.

℞. Aquæ, in qua Rosæ sint maceratæ, & hæc dicitur Infusio Rosarum, lib. v.
Sacchari albi, & optimi lib. iiij. *Ing. ij.*

Igni lento decoquantur ad exhalationem quattuor circiter librarum, infusionem semper despumando.

Iulepum Rosatum Commune.

℞. Aquæ Communis,
Aquæ Rosarum, ana lib. iiij.
Sacchari elect lib. viij. *Ingred. iij.*

Decoquantur placidè spumam abiiciendo, vt est artis.

Iulepum

Iulepum Rosatum Mesue ex aqua Rosata.

℞. Aquæ Rosarum lib.iij.
Sacchari lib.ij.

Decoquantur ad debitam compagem. At quidam Recentiorum dicunt aquæ Rosarum esse libras quattuor, quod omnino repugnat Mesue dictis. Aliqui tale Zulapium parant Conserua Rosarum, & aqua Rosarum, vel communi aqua, & Saccharo, quæ cum decocta fuerint dolo denso, vt optimè depurata sint, transmittunt.

Error aliquorum.

Iulepum Violatum eò modò conficitur, quo Rosatum, vt Mesue.

Descriptio Iulepi Rosati Purgatorij Mes. ibidem.

℞. Succi Rosarum lib.iij. *Ingréd ij.*
Sacchari lib.ij.

Simul coquantur ad consumptionem duarum librarum cum dimidia circiter succi.

Syru-

Syrupus de succo Oxalidis Mesue.

℞. Succi Oxalidis, id est Acetosæ diligenter depurati lib. iij.
Sacchari lib. ij. *Ingred. ij.*
Fiat Serapium ex arte.

Et Syrupi cuiuscumque Simplicis eodem modo parantur, vt è succo Oxalidis, sicuti

Endiuiæ,	*Saluiæ,*	*Rutæ Caprariæ,*
Agrimonij,	*Betonicæ,*	*Nimpheæ,*
Boraginis,	*Portulacæ,*	*Lupulorum,*
Fumariæ,	*Buglossi,*	*Granatorũ, &c.*

Syrupus è succo Cucurbitæ Mesue.

℞. Succi Cucurbitæ magnæ maza, id est ex farina, & aqua inuolutæ, & clibano decoctæ lib. v.
Sacchari lib. ij. *Ingred. ij.*

Percoque secundum artem.

Syru-

Syrupus ex Corticibus Citri Mesue, & circa ipsum Exercitatio.

℞. Corticum Citri libri.i.
Aquæ Fontis lib.v.
Coquantur ad duarum librarum consumptionem, colentur & cum
Sacchari lib.i.
Moschi gr.iiij. *Ingred.iiij.*

Lento igne percoquantur ad Serapii formam, abiiciendo spumam, deinde remoueatur ab igne, & addatur Moschus diligenter læuigatus, aut aliqua Syrupi portiuncula accuratè dissolutus, Cortices sint odoratæ, & medulla illa cādida penitus priuatæ. Alii referente Mesue: *Corticum quantitatem istam in Iulepum probè coctum proiiciunt, & fit delectabile; quod si aqua, cui cortices Citri sint incocti, Sericum cocco baphica tinctum maceraris, præstantius euadet.*

Syrupus ex acido succo Citri, & circa ipsum parandum Exercitatio Mesue.

℞. Succi Citrorum acidi lib.xij.

Iulepi

Julepi clari & purg. lib. v. *Ingred. ij.*

Decoquatur ſuccus igni lento prunarum ad tertiæ partis conſumptionem, cola, reſidere, donec clareſcat, permitte. Percoque ad iuſtam craſſitudinem, aut ſi æſtas, inſola, donec aquoſa eius ſubſtantia conſumetur. Hæc Meſue. Nonnulli propria opinione ducti ſolum libras ſeptem ſucci non decocti ſumunt, & cum Zulapio parant Syr. Ignorant hi ſuccum ebullitione illa ad exhalationem tertiæ partis fieri præſtantiorem, & puriorem, & præterea paruifaciunt autoris ſententiam: ſicuti aliqui alii arbitrantur acidum illum ſaporem tali coctura euaneſcere, quod quidem falſum quo exiſtit, vt experientia demonſtrat. Quidam auaritia impulſi, ſuccum à Citris putredine ſecundum aliquam partẽ contaminatis eliciũt, qui inſuaue, & amarum quoquomodo reddunt Serapium, adde & vix acidum exiſtere: & alii, vt multum ſuccum à parte acida educant, vna cum membranulis, & cartilaginibus illam prælo exprimunt: quapropter & impurum, & minus acidũm euadit Serapium, immo & quoquomodo amarum.

Error aliquorum. *Error aliorum.* *Error aliorum maximus.*

O *Syru-*

Syrupus de Omphacio, & de Baccis Myrtorum.

Fit eo modo, quo ex ſucco Citrorum. Aliqui illos condiunt Caryophyllis. Hæc Meſue.

Syrupus Saporis Regis Perſarum à Meſue deſcriptus, & eiuſdem circa ipſum Exercitatio.

℞. Succi Pomorum redolentium libr. iij.
Succi Bugloſſi domeſtici, & ſiluestris ſc. flores purpureos producentis, ana lib. ij.
Senæ vnc. iiij.
Croci drach. ij.
Sacchari lib. iij. *Ingred. vj.*

Fit ſic. Sena contrita per horas viginti quattuor ſuccis maceretur, ſemel deinde ferueſiat, expreſſum poſt cum Saccharo percoquatur in Syrupo. Crocus autem panno ligatus lineo inter coquendum infricetur.
Meſue hæc.

Syrupus

Syrupus è Ziziphis Mesue, quem Iulepum Ziziphorum appellat.

℞. Zizipha magna, & pinguia num. centum.
Sacchari lib. j.
Aquæ lib. iiij. *Ingred. iij.*

Zizipha illa optime detersa, & cultro plagata, vt capite de Fructibus & Decoct. diximus, macerentur in aqua calida; deinde bulliant ad consumptionem duarum librarum spumam auferendo, postea col. & leuiter exprimantur, quod decoctum cum Sacchato decoquatur in Syrupum, quem Recentiores Simplicem dicunt. Aliqui, vt repugnent autoris sententiæ, aquæ libras sex imponunt, vt forte ne ita viscidus euadat, quod quidem ridiculum esset, cum ad lambendum institutus sit ab autore. *Error aliquorum.*

Syrupus Ziziphorum compositus Mesue, & circa viam ipsum præparandi Exercitatio.

℞. Zizipha sexaginta,
Violarum,

Seminum Maluæ, ana drach. v.
Adianti albi, i. Capil. Vener.
Glycyrrhizæ,
Hordei mundi, ana vnc. j.
Sem. Cydoniorum,
Papaueris, ana drach. iij.
Sem. Melonis.
Lactucæ,
Tragacanthi, ana drach. iij.
Aquæ fontanæ lib. iiij.
Sacchari lib. ij. *Ingred. xiij.*

Hordeum purum optime mundum, & à puluere detersum in aquam ad ebulliendum iniiciatur; postea Glycyrrhiza, deinde semina Maluæ, Cydoniorum, & Tragacanthum, & paulo post semina Papaueris, Melonum, & Lactucæ leuiter contusa; post hæc Violæ, & Adiantum. Coquantur ad consumptionem dimidii; colo raro traiiciantur, & cum Sacchard decoquantur ad Serapii formam. Aliqui dedita opera, vt aduersentur Mesue placitis, aut videantur aliquid moliri, nodulo succum lentum in se continentia inuoluunt, ne viscidum euadat decoctum, hæc sunt semina Maluæ, Cydoniorum, & Tragacanthum; ignorant hi finem Me-

Error multorum.

sue,

sue, ita enim fuit ab ipso institutum, ne facile ad pectus labatur, & leniret fauces, & incrassaret fluidos humores. Sed illud agendum erit, si ægrotantes Serapium ita viscidum abhorreant, imperante tamen Medico.

Syrupus Papaueris simplex Mesue.

℞. Capitum Papaueris albi, & nigri, ana drach. lx.
Aquæ pluuialis lib. iiij.
Sacchari albi,
Penidiorum, ana vnc. iiij. *Ingr. v.*

Decoquantur capita prius tamen macerata, præcipue si iam exsiccata, quæ sint semine plena, ad consumptionem duarum lib. & dimidiæ, colentur, & percoquatur cum Saccharo, & Penidiis. In huius Serapii Confectione non pauci Seplasiarii, qui modum scripserunt illum parandi, errarunt, cum quantitatem Sacchari, & Penidiorum augeant, & decocti minuant, affirmantes fieri illum minus lentum: at hi assecuti non sunt veram sententiam Mesue, ac eius finem, vt su- *Error aliquorum.*

 perius

perius, vbi de Serapio Zizipharum, narrauimus. & ideo ad Medicos modum medicamina parandi attinere certissimum est.

Syrupus Papaueris compositus Mesue.

℞. Capitum Papaueris albi, & rubri, in cuius defectu nigri, an. dr. l.
Capil. Veneris drach. xv.
Glycyrrhizę drach. v.
Zizipha num. xxx.
Seminum Lactucæ drach. xl.
Sem. Maluæ,
Cydoniorum, ana dr. vj.
Aquæ lib. iiij.
Sacchari,
Penidiorum, ana vnc. viij. *Ingred. xj.*

Coque ad dimidii comsumpt. vt est arti ; colatum percoque cum Saccharo, & penidiis in Syrupi formam, Mesue.

Error aliquorum. Nonnulli affirmant desumendas esse aduersus opinionem Mes. aquas lib. sex.

Syrupus

Syrupus Violatus Mesue.

℞. Violarum vnc. ij.
Sem. Cydonii,
Maluæ, an. vnc. j.
Zizipha,
Myxa, .i. Sebesten, ana num. xx.
alii xxx. & alii viij.
Aquæ Cucurbitæ lib. vj.
Sacchari lib. j. ß. *Ingred. vij.*

Secundum artem fiat Syrupus. Aliqui, vt videantur corrigere Mes. mentem septem libras aquæ, & non sex esse statuunt. *Error aliquorum.*

Syrupus Portulacæ Mesue.

℞. Seminum Portulacæ tritorum lib. j.
Succi Intybi, scil. Endiuiæ cocti, & purgati, lib. iiij.
Sacchari lib. ij. *Ingred. iij.*

Semina illa trita macerentur in succo horis viginti quatuor, postea igni lento bulliant ad dimidias, & tunc expressum cũ Saccharo coque in Syrup. additur interdum aceti libra vna, vel succi Granatorum libra vna cum dimidia. Hæc Mesue.

Syrupus Adiantinus Mesue.

℞. Glycyrrhyzæ vnc. ij.
Adianti albi, scil. Capil. Ven. vnc. v.
Aquæ fontis lib. iiij.
Sacchari clarificati,
Aquæ Adianti, ana vnc. viij. *Ingr. v.*

Macera per spacium viginti quattuor horarum Adiantum, & Glycyrrhiza in dicta aqua, coque ad dimidias, & expressum coque cum Saccharo, & aqua Adianti. Hæc Mes.

Syrupus Acetatus Mesue, & Exercitatio ipsius circa methodum illum parandi.

℞. Sacchari lib. v.
Aquæ fontis lib. iiij.
Aceti albi, & clari lib. ij. *Ingred. iij.*

Aqua, & Saccharum coquantur in vase lapideo ad dimidias semper despumando carbonibus accensis, aut flamma exigua sine fumo: tunc adde Acetum, & percoque in Syrupum. Si autem valentissimum vis, libras quattuor eius, si medio-

cre viribus libras tres. Mes. Sed hoc ad Medicos attinet decernere.

Syrupus Acetatus cum radicibus.

℞. Radicum Apii,
Fæniculi,
Intybi, sc. Endiuiæ, an. vnc. iij.
Sem. Apii,
Fæniculi,
Anisi, an. vnc. j.
Sem. Intybi, scil. Endiuiæ vnc. ß.
Aquæ fontanæ lib. x.
Sacchari q. s. videl. lib. iij. *Ingr. x.*

Decoquantur omnia ad euaporationem dimidii, radices scil. medullis illis internis priuatæ, & in frustula dissectę, postea Semina contusa, expresso, & colato adde Saccharum clarificatum, deinde Acetum additur quantumlibet, vt extant vnciæ sex, vel octo circiter.

Syrupus quinque Radicum, qui est in vsu.

℞. Cort. Radic. Apii,
Fæniculi,

Petro-

Petroſelini,
Aſparagi,
Ruſci, ana vnc. ij.
Sem. Apii,
Fœniculi,
Petroſelini, ana vnc. j.
Aquæ fontis lib. x.
Mellis optimi, & deſpumati lib. iij.
Aceti lib. j. vel vnc. viij. *Ingred. xj.*
Fiat Syr. vt eſt artis.

Syrupus Bizantinus Meſue, vel Dynari, quod nomen denotat auaritiam à bono Pharmacopæo eſſe alienam, & modus conficiendi.

℞. Succi Intybi, ſcilic. Endiuiæ,
Apii, ana lib. ij.
Succi Lupuli,
Bugloſſi hortenſis, multi ſtatuunt eſſe Boraginem, vel ſilueſtris, ana lib. j.
Sacchari lib. ij. ß. *Ingred v.*

Succi ferueſiant, & purgentur, & eius ſucci clarificati lib. iiij. igni lento cum Saccharo coque. Interdum acetum menſura ſuccorum purorum dimidia incoquitur. Interdum

serdam Rosarum unciæ duæ, Glycyrrhizæ unica dimidia, Spicæ Nardi drachmæ duæ, Sem. Anisi, Fœniculi, Apii, ana dr. tres, succis incoquuntur, & mirus euadit. Postea, vt expostulat ratio, colentur, & exprimantur, & cum tali Decocto, & Saccharo fiat Serapium. Hoc, cum recipit acetum, dicitur cum aceto.

Syrupus Acetatus Diarhodon Mesue.

℞. Succi Intybi, scil. Endiuiæ,
Apii, ana lib. ij. & ß.
Cortic. Radic. Apii,
Fœniculi,
Intybi, ana vnc. ij.
Rosarum scil. rubearum vnc. j.
Glycyrrhizæ vnc. ß.
Spicæ Nardi drach. ij. ß.
Sem. Apii,
Fœniculi,
Anisi, ana drach. vij.
Aquæ lib. vj.
Aceti lib. ij.
Sacchari lib. iij. *Ingred. xiiij.*

In Succis, & aqua primò proiiciantur omnia, & bulliant ad duarum partium consum-

consumptionem, scilicet quatuor lib. deinde colo traiiciantur, & exprimantur, & cum Saccharo, & Aceto fiat Syrupus. Ignoro ego necessitatem addendi libram vnam aquæ, nisi dicamus desiderium cōtradicendi, aut aliquid adiungendi huius fuisse in causa.

Error aliquorum.

Oxysaccharum Simplex, quod Syrupus Acetatus vocatur.

℞. Sacchari lib. v.
Aceti lib. ij.
Aquæ lib. iiij. *Ingred. iij.*

Simul confusa igni lento, vase vitreato, spumam diligenter auferendo percoquantur.

Oxymelis descriptio à Galeno desumpta 4. de sanitate tuenda cap. 6.

℞. Aceti albi acerrimi lib. j.
Mellis optimi lib. ij.
Aquæ fontis lib. iiij. *Ingred. iij.*

Geminum modum hoc parandi nobis reliquit Galen. dicens: *Cum aqua vero sta-*

tim ita facies Oxymeli, Melli quadruplum optima aqua miscebis, deinde coques modico igni, quoad spumare desinat, post vero aceto adiecto, rursus coquendum, donec qualitatum sit vnitas, nec acetum crudum etiam appareat (hanc rationem conficiendi seruauit Mesue spumam tamen perpetuo abiiciendo) conficitur praeterea tribus illis ab initio mistis ad hunc modum, hac ad tertiam partem coquantur, vel etiam quartam spuma interim detracta. quod si valentius studere facis tantumdem iniicies aceti, quantum mellis. Hæc ille.

Secaniabin, id est Oxymeli de Radicibus Mesue.

℞. Corticum mundatarum, & incisarum radicis
Apii,
Fœniculi, añ a vnc. ij.
Sem. Apii,
Fœniculi,
Anisi, ana vnc. i.
Aceti lib. x.
Aquæ lib. xx.
Mellis lib. x. *Ingred. viii.*

Macerentur omnia vase lapideo, horis vigin-

viginti quattuor, colato adde mel, & igni lento percoque.

Fit Phlegmagogum id, si inter coquēdum medulla seminis Cnici, id est Carthami, panno lineo raro ligata mergatur, & confricetur. Potentiùs euacuabit, si etiam Turpethum cum Zingibere nodulo prædicto addatur. Hæc Mesue.

Oxymeli Scilliticum Mesue.

℞. Aceti Scillitici lib. ij.
Mellis despumati lib. iij. *Ingred. ij.*

Coque despumando, vt in Oxymelite diximus. Quod interdum fit cum radicibus, sed addita aqua, vt superius diximus.

Syrupus de Mentha Mesue.

℞. Succi Cydoniorum Muzorum, id est, acido dulcium,
Dulcium,
Succi Granatorum Muzorum, id est, acido dulcium,
Acidorum,
Dulcium, an. lib. j. ß.
Menthæ siccæ lib. j. ß.
Foliorum rosarum vnc. ij.

Mellis

Mellis aut Sacchari lib. ij.
Aromatizetur cum Gallia, id eſt, ſcript. ij. *Ingred. ix.*

Macera Mentham ſiccam, roſarumque folia in dictis ſuccis, qui extant lib. vij. cum dimidia, prius tamen manibus diſrupta, & dilacerata, & lignulis illis, quibus folia adhærent, priuata, viginti quatuor horis, coque ad dimidias, deinde colatum cum Melle coquatur. Mirum eſt multos Seplaſiarios affirmaſſe Mentham non poſſe illa ſuccorum quantitate macerari, quod quidem ridiculum exiſtit, dummodo Mentha ſit dilacerata, & diligenter exſiccata, & ſucci libræ ſeptem cum dimidia, & non quinque, vt illi ſomniant. & in textu Antiquo & Siluii legitur libra vna, & dimida Menthæ & non dimidia, aut vna tantum. Aromatizetur cum duobus ſcrupulis Galliæ.

Error multorum.

Alter error.

Syrupus Abſinthii Meſue.

℞ Abſinthii Romani, ſcilic. communis ſicci lib. ij.
Foliorum Roſarum, ſcil. rubearum vnc. ij.
Spicæ Nardi drach. iij.
Vini albi, antiqui, boni, odori,

Succi

Succi Cydoniorum, ana lib. ij. ß.
Mellis, aut Sacch. lib. ij. *Ingr. vj.*

Conficitur, vt Syr. de Mentha.

Miua Cydoniorum, vel Conditum ex Cydoniis Mes. & præparandi Exercitatio.

℞. Succi Cydoniorum acidorum lib. xx.
Vini antiqui, boni lib. x.
Mellis boni, & desp. lib. vj.
Cinnamomi,
Cardamomi, ana drach. iij.
Caryophyl. drach. ij.
Zingiberis,
Macis,
Ligni Aloes,
Mastiches, ana drach. j. ß.
Croci drach. ij.
Moschi script. j.
Galliæ drach. ij. *Ingred. xiij.*

Vinum, & Succos coque igni lento semper despumando ad tertiæ partis consumptionem, cola, residendo clarescat, claro adde Mel, iterum coque despumando, & in eo suspende nodulo ligata aromata parum trita excepto Croco, fricando nodulum; cum ad crassitiem fuerit, Aromatiza dr.

æa drach. vnius tertia parte Moschi, & Galliæ drachmis duabus. Hæc Mes. Quot sunt Pharmacopęi, qui nec in Syr. de Mentha, nec in hoc Condito Moschum, nec Ambram imponunt, maximo cum detrimento ægrotantium, aut autoris contéptu. Gallia, & Moschus aliqua syrupi portione in mortario læuigetur. *Error multorum.*

Miua Cydoniorum simplex Mesue.

R. Succi Cydoniorum acidor. lib. xx.
Vini antiqui, boni lib. x.
Mellis despumati, aut Sacchari libras vj. *Ingred. iij.*
Coquatur, vt superius.

Syrupus è granis Myrti compositus, qui apud omnes est in vsu.

℞. Granorum Myrti drach. xx.
Santalorum Alborum,
Rubeorum,
Balaust. scil. florum Granatorum,
Berberi,
Sumach., ana drach. xv.
Mespila immatura, & exsiccata numer. xxx. vel eorum drach. l.
Aquæ lib. viij.

Succi Granatorum acidorum,
Cydoniorum, ana vnc. vj.
Sacchari lib. iij. *Ingred. xj.*

Macerentur omnia in aqua per diem, & noctem, postea coquantur ad dimidium, colentur, & exprimantur, & ex succis, & saccharo, & expresso fiat Syrupus.

Syrupus de Calaminthe Mesue.

℞. Calaminthes Domesticæ,
Syluestris,.i. Nepitæ, an. vn. ij.
Ligustici,
Dauci,
Schænanthus, ana drach. v.
Vuarum passarum à nucleis purgatarum lib. ß.
Mellis lib. ij.
Aquæ q.s. *Ingred. viij.*

Coquantur, vt est artis, in quinque, aut sex libris aquæ, deinde cum Melle fiat Syr.

Syrupus de Thymo Mesue.

℞. Summitatum Thymi vnc. ij.
Calaminthes,
Menthæ siccæ, ana drach. v.
Sem. Apii,

Fœnicu-

Fæniculi,
Dauci, eius loco Sem. Pastinacæ siluestris.
Anisi, ana vnc. ß.
Vuarum passarum purg. à nucleis vnc. iiij ß.
Mellis lib. ij.
Galliæ, scil. Moschatæ drach. ij.
Cum libris sex aquæ fiat Syr. ex arte.

Ingred. xj.

Syrupus de Eupatorio Mesue, vel de Agerato, vt Dioscorides.

℞. Radic. Apii
Fœniculi,
Intybi, sc. Endiuiæ, an. vn. ℥.
Glycyrrhizæ,
Schænanthus,
Cassuthæ, .i. Cuscutæ, an. dr. vj.
Absinthii,
Rosarum, ana drach. vj.
Adianti albi,
Bedeguar, scil. Spinæ albæ,
Succhaha scil. Spinæ Arabicæ, vel Ægyptiæ.
Florum Buglossi,
Sem. Anisi,
Fæniculi,
Eupatorii, .i. Agerati Dios. an. dr. v.

Rhabarbari, ab Arabib. Rauedſenī,
Maſtiches, ana drach. iij.
Spicæ Nardi,
Aſari, id eſt, Baccaræ,
Folii, Caryophyllorum folia, aut
Cinnamomi eius loco, an. dr. ij.
Aquæ lib. viij,
Sacchari lib. iiij.
Succi Apii, & Intybi quantitatem
ſufficientem, quæ eſt librarum
duarum circiter pro vnoquoque
eorum. *Ingred. xxiiij.*

Bulliant omnia ſecundum artem ad tertiam, poſtea cum ſuccis, & Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus de Epithymo Meſue.

℞. Epithymi boni, hortenſis dr. xx.
Myrobalanorum Indarum,
Citrearum, ana dr. xv.
Caſſuthæ, id eſt, Cuſcutæ dr. x.
Fumariæ drach. x.
Thymi,
Calaminthes,
Bugloſſi,
Stæchados,
Glyzyrrhizæ,
Rad. Polypodii,

Agari-

Agarici,
Myrobalan. Emblic.
Belliricarum, ana dr. vj.
Rosarum,
Sem. Fæniculi,
Anisi, ana drach. ij. ß.
Pruna xx.
Vuarum passarum purg. vnc. iiij.
Tamarindorum vnc. ij. ß.
Sacchari lib. iiij.
Sapæ lib. ij. *Ingred. xxiij*

Percoquantur in libris decem aquę ad exhalationē tertiæ partis, & primò Pruna nucleis priuata, Polypodium, & cetera secundum artem.

Syrupus Stæchados Mesue.

℞. Florum Stæchados drach. xxx.
Hasce, id est, Thymi,
Calaminthes, Mentastri in eius defectu.
Origani, ana drach. x.
Anisi,
Pyretri, ana drach. vij.
Piperis longi drach. iij.
Zingiberis drach. ij.
Vuarum passarum purg. vnc. iiij.
Mellis lib. v.
Aquæ q. s.

Condiatur Cinnamomi,
Calami aromatici .i. Communis,
Spicæ Nardi,
Croci,
Zingiberis,
Piperis Nigri,
Longi an. dr. j. ß. *Ingr. xviij.*

Hæc ligata ſint panno raro, & appenſa in Syrupum. Datur vncia vna, cum aqua, cui incocta ſint Spica, & Alcbilil, .i. Roremarinus. Decoquantur in decem libris aquæ ad tertiam, & cum Sacch. fiat. Syr.

Syrupus Fumariæ major Meſue.

℞. Myrabol. Cepularum, .i. Chebul.
Citrearum, .i. Citrin. ana drach. xx.
Florum Violarum,
Boraginis, vel Bugloſſi,
Abſinthii,
Caſſuthæ, .i. Cuſcutæ, ana vnc. j.
Glycyrrhizæ,
Roſarum, ana vnc. ß.
Epithymi,
Polypodii, ana drach. vij.
Pruna num. centum,

Vuarum passarum purg. vnc. ß.
Tamarindorum,
Cassiæ fistulæ, ana vnc. ij.
Aquæ lib. x.
Succi Fumariæ cocti, & purgati,
Sacchari, ana lib. iij. *Ingred. xvij.*

Bulliant in aqua ad consumptionem septem librarum, & cum succis, & Saccharo fiat Syrupus. Mesue. Sint Fructus omnes nucleis priuati, vt Myrob. Tamarindi, Pruna, & Cassia semine. Quidam Aquæ libras duodecim paruifacientes autoris descriptionem imponunt. *Error aliquorum.*

Syrupus Glycyrrhizæ Mesue.

℞. Glycyrrhizæ vnc. ij.
Adianti, id est, Capil. Vener. vnc. j.
Hyssopi sicci vnc. ß.
Aquæ lib. iiij.
Penidiorum,
Sacchari,
Mellis, ana vnc. viij.
Aquæ Rosarum vnc. vj. *Ingr. viij.*

Macerentur horis viginti quatuor Glyc. Adiantum, & Hyssop. & bulliant ad dimidias, expressum percoque cum Saccharo, Melle, & Penid. cui finem versus paulatim aqua rosacea addatur.

Syrupus

Syrupus de Betonica Compositus.

℞. Betonicæ M. iij.
Maioranæ,
Saluiæ,
Roremarini, ana M. j.
Thymi,
Rosarum,
Stæchados ana M. ß.
Sem. Fæniculi,
Ameos, loco eius Cumini,
Anisi, ana vnc. ß.
Rad. Peoniæ,
Fæniculi,
Pyrethri, ana drah. v.
Aquæ communis lib. vj.
Succi Betonicæ lib. ij.
Sacchari lib. iij. ß. *Ingred. xvj.*

Macerentur in aqua, bulliant ad consumptionem dimidii, colentur, & cum succo, expresso, & Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus Nimpheæ.

℞. Florum Nimpheæ lib. j.
Aquæ communis lib. iij.
Sacchari lib. ij. *Ingred. iij.*

Mace-

Macerentur flores per noctem in aqua calida, & hoc ter reiteretur, ſemper librã vnam florum infundendo, poſtea colentur, & cum expreſſo, & Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus de Cicorio cum Rhabarbaro Nicolai Florentini.

℞. End. Domeſticæ,
Silueſt. .i. Cicorii, quod in agris naſcitur,
Cicorii,
Taraxacon, .i. Condrillæ, vel Sonci loco eius, ana M. ij.
Cicerbitæ,
Hepaticæ,
Scariolæ, .i. ſpecies Endiuiæ Silueſt. quæ dicitur Seris,
Lactucæ,
Fumariæ,
Lupulorum, ana M. j.
Hordei non excort. vnc. ij.
Veſicariæ, .i. Alkekengi, ſpecies Solani,
Glycyrrhizæ,
Capil. Veneris,
Aſplenii, à vulgo Citrach,
Polytrichi,
Adianti, hoc loco Gallitrici,

Caſſuthæ.

Chamædryos,
Chamæpithyos, ſeu Iue Arthet.
Hyperici, id eſt, Perforatæ,
Centaurii parui,
Partenii cum flore, .i. Matricariæ, à vul. Amarella.
Rutæ,
Betonicæ,
Buglosſi,
Rad. Fæniculi,
Apii,
Petroſelini,
Aſparagi,
Ruſci, ana M. j.
Rad. Saxifragiæ, in cuius def. Rad. Pimpinellæ,
Iridis,
Enulæ,
Rubiæ,
Peoniæ,
Cyperi, ana M. j.
Sem. Juniperi,
Smyrni, ſeu Liguſtici,
Petroſelini,
Apii,
Aniſi,
Agith, id eſt, Nigellæ,
Calami Aromat. eius loco Zedoar.
Caſiæ,

Casiæ, scil. Cinnamomi vulg.
Carpobalsami, loco eius Cubebæ,
Costi, eius loco Angelicæ,
Asari,
Phu, eius loco Valerianæ,
Pyrethri, ana vnc. ß.

Percoquantur in xvj. libris Aquæ secundum artem, ad consumptionem viij. librarum, & cum v. Sacchari lib. fiat Syr.

Ingred. xliij.

Syrupus de Scolopendrio, qui est in vsu.

℞. Citrach, .i. Scolopendrii,
Phyllitidis, .i. Linguæ Ceruinæ,
Endiuiæ,
Hepaticæ,
Absinthii, ana M. ß.
Cicorii M. ß.
Cassuthæ, .i. Cuscutæ drach. j.
Sem. commun. frig. maiorum, ana drach. ij.
Florum Boraginis,
Buglossi,
Capil. Veneris, ana M. j.
Rad. Fœniculi,
Petroselini,
Rusci, ana M. ß.
Aquæ communis lib. vij.
Sacchari lib. iiij.

Fiat

Fiat Serapium, & condiatur cum Laccæ Infectorum, quæ est Gummi species.

Casiæ,
Folii, vt Caryophyl. ana dr.ij. *Ing.xxij.*

Quæ negligenter terantur, & panno raro ligentur, & nodulus in Syr. dum coquitur, suspendatur, & exprimatur.

Syrupus acidus ex Manna Mesue; qui à nobis laudatur.

℞. Mannæ vnc.iij.
Succi Intybi cocti, & purgati lib.j.

Maceretur Manna in dicto Succo, & vas sit lapideum, manibus fricentur, colentur post cum

Aquæ Rosarum;
Succi Gran. acido dulcium, an. lib.j.
Succi Vuarum agrestium, lib.ß.
Succi acidi Citrorum, lib.ß.
Sacchari lib. iij. *Ingred. vij.*

Percoquantur.

Syrupus de Polypodio, seu Filicula compositus, qui à nobis probatur.

℞. Florum Buglossi,
Boraginis;
Violarum;
Rosarum, ana M.j.

Epithy-

Epithymi vnc. iij.
Cassuthæ, à vulgo Cuscutæ vnc. j.
Glycyrrhizæ,
Melissæ, ana drach. ij
Sem. Fœniculi,
Anisorum, ana drach. iij.
Pruna num. xx.
Passarum purgatarum vnc. iiij. ß.
Polypodii lib. ij. ß.
Senæ lib. ß.
Turpethi,
Agarici, ana vnc. ß.
Myrobalan. Citr. & Nigrarum, ana vnc. iiij.
Succi Borag.
Lupulorum,
Fumariæ, ana lib. iij.
Infusionis Rosarum solutiuæ lib. v.
Sacchari
Mellis, ana lib. iij. *Ingred. xxiiij.*

Infundantur Polypodii Radices mundatæ, & contusæ in dictis liquoribus per diem, & noctem; deinde bulliant ad consumptionem dimidii, cetera addendo secundum artem, colentur, & exprimantur, & cum Saccharo & Melle fiat Syrupus, cui dum decoquitur, addatur infusum, & expressum Agarici, Turpethi, & Myrobala. quæ omnia in aliqua

aliqua portione succorum, & infusionis sint prius macerata, & nonnullis ebullitionibus feruefacta. Vel hæc crassiuscule detrita, & dictis liquoribus irrorata lineo panno, raro, & laxo ligata inter coquendum Syrup. sæpe fricentur, & exprimantur. Possumus etiam omnia eodem tempore, & etiam purgantia infundere, macerare, decoquere, & exprimere, & cum Saccharo, & Melle Syr. conficere. At primus modus nobis magis arridet.

Syrupus de Polypodio Gentilis Fulig. qui Mirachinus vocatur.

℞. Polypodii recentis vnc. iij.
Buglossi,
Melissæ, ana M. j.
Cyperi,
Acori, in eius defectu Cala. Arom.
Asari,
Cort. radic. Cappar. ana vnc. ß.
Senæ,
Epithymi, vnc. ij.
Sem. Endiuiæ,
Lactucæ, an vnc. ß.
Sem. Scariolæ vnc. j. ß.
Aquæ lib. v.
Mellis Rosati lib. ij. *Ingred. xiiij.*

Crassius-

Crassiuscule terantur, & secundùm artem bulliant ad consumptionem duarum librarum & cum Melle fiat Syr.

Syrupus de Polypodio Augustini Suessani, qui etiam laudatur.

℞. Polypodii lib. i.
Fumariæ,
Lupulorum, ana, vnc. i. ß.
Corticum Myrobal.
Rhabarbari,
Foliorum Senæ,
Epithymi, ana vnc. j.
Florum Boraginis,
Buglossi,
Violarum,
Camepith. id est Iuæ Arteticæ, ana vnc. ß.
Glycyrrhizæ,
Vuarum passarum, ana drach. iij.
Succi Fumariæ,
Lupulorum, ana lib. ij.
Sacchari lib. iiij.
Aquæ comm. lib. x. *Ingred. xvij.*

Infundantur omnia per noctem, coquantur ad dimidium, & cum Succis, &

Saccharo fiat Syrupus.

Syrupus è Succo Iridis.

℞. Iridis Succi depurati, & cocti lib. iij.
Rosarum purpurearum,
Absinthij, ana M. j.
Ligni Aloes,
Caryophyl.
Cinnamom. ana drach. ß.
Sacchari lib. j.
Mellis lib. ß. *Ingred. viiij.*

Macerentur Rosæ, & Absinth. per noctem in succo, bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & fiat Syrupus, qui condiatur ligno Aloes, & aliis nodulo detentis.

Syrupus de Iua Artetica Nicolai Florentini, seu Chamæpythio.

℞. Iuæ Arteticæ, id est Chamæpyth. M. ij.
Saluiæ,
Maioranæ,
Rorismarini,
Polij.

Ori-

Origani,
Calaminthes,
Mentast.
Pulegii,
Hyssopi, ana M.j.
Thymi,
Rutæ Siluestris,
Domesticæ,
Betonicæ,
Serpilli, ana M.j.
Rad. Acori, Calami Aromatici offic. eius loco,
Aristolochiæ Longæ,
Rotundæ,
Phu, id est Valerianæ,
Cucurbitæ siluest. id est Brioniæ,
Gentianæ,
Dictamni, ana vnc.ß.
Cort. Rad. Fœniculi,
Petroselini,
Apii,
Asparagi,
Brusci, ana vnc.j.
Stæcados,
Sem. Anisi,
Fænicul
Leuistic
Ameos, scilicet communis, vel Cumini,

Carui,
Siler. Mont. ana drach. iij.
Pyretri drach. i. ß.
Passarum vnc. ij.
Aquæ commun. lib. xij.
Sacchari lib. iiij. ß. *Ingred. xxxviij.*

Infundantur omnia per noctem, bulliant ad dimidium, & cum Saccharo fiat Serapium, aut fiat Decoctio secundùm naturam Simplicium, quæ dicitur secundum artem.

Syrupus Rosatus Solutiuus.

℞. Infusionis Rosarum Solutiuæ lib. vj.
Sacchari lib. iiij. *Ingred. ij.*

Decoquantur simul spumam abiiciendo ad Syrupi consistentiam: non sit autem minor infusionis quantitas; ægrè enim, & imbecillè aluum subducet, quod non rarò euenit ob aliquorum Seplasiariorum auaritiam: qui tantùm quattuor, aut quinque Infusionis libras sumunt, quæ imperfecta non rarò existit: Illa enim optima reuera censetur, quæ colore suffusa est rubro, sapore amara, & Rosarum odorem redolens: à quibus omnibus *Seplasiariorũ auaritia.*

neces-

necesse est iniucundum, & insuauem reddi Syrupum, si sufficientem Infusionis quantitatem in se recipiat. Attamen multi extant Medici, qui arbitrantur Syrupum quemdam Rosatum Solutiuum, quem Auri nomine decorant, minus amarum, minus odorum, & colore non rubeum, sumptum eadem quantitate, vel paulò maiori eamdem efficere operationem: Ignorant hi, mihi parcant, purgatricem facultatem in crassiori parte Infusionis consistere; exemplo sit nobis *Aqua Rosarũ per sublimationem facta*, quæ narrante Mesue, *multùm roborat, sed non purgat, at aqua Infusionis tergit, & purgat.* In hac enim seruatur odor, amaritudo, & color quæ sunt præcipuæ Rosæ conditiones, vt Mesue, qui hæc: *Ignea denique substantia tenui, à qua est amaritudo, rubor, perfectio, & forma, ob quam amaritudinem Rosæ recentes purgant.* Si igitur rubeo colore priuetur Infusio, (quo ablato fortè Infusum Rosarum non erit vocandum; cum Rosa non rubea, sit tanquam homo mortuus, qui non est homo, teste Mes.) & amaro sapore: inconsonum est rationi aluum proritare, nisi magna copia eius desumatur. Medici isti, ni fallor, sunt in causa, vt aliqui Seplasiarii animo illos irridentes,

Error quorundam Medicorum.

dentes, aliquid Scāmonii in tale Serapiū iniiciant; vt eorum placitis indulgeāt. Mes. Syrupum Rosatum ex Infusione, & Saccharo non descripsit, sed ex Succo, & Saccharo, vt capite de Rosis legitur.

De Syr. Rosato Simplici, vel Iulepo Rosato Mes.

℞. Infusionis Rosarum simpl. lib. v.
Sacchari lib. iiij. *Ingred. ij.*

Fiat Syr. vt est artis. Mes. sub Zulapiis locauit.

Mel Rosatum Solutiuum.

℞. Infusionis Rosarum solutiuæ lib. vj.
Mellis despumati lib. iiij. *Ingred. ij.*

Decoquantur spumam auferendo, & colo denso transmittantur.

Mel Rosatum Simplex, vel Rhodomel ab Aetio vocatum.

Fit, vt Syrupus Rosatus.

Mel Rosatum Saccharinum.

℞. Infusionis Rosarum lib. v.
Sacchari lib. j.
Mellis lib. ij. *Ingred. iij.*

Coquantur ex arte, ad cōpagē Syrupi.

Syrupus Violaceus Solutiuus.

℞. Infusionis Violarum solutiuæ lib. vj.
Sacchari lib. iiij. *Ingred. ij.*
Fiat vt Rosatus.

Mel Violatum Simplex.

℞. Infusionis Violarum simpl. lib. v.
Mellis lib. iiij. *Ingred. ij.*
Decoquantur, vt est artis.

Syrupus de Scabiosa, quæ non est Stæbe, vt aliqui credunt, si Diosc. descriptioni credendum.

℞. Succi Scabiosæ lib. iij.

Glycyrrhizæ vnc.i.
Corallii albi,& rubei pręp. ana drach.i.
Sacchari lib.ij.
Aceti vnc.iij. *Ingred.vj.*

Minutiſſimè incidatur Glycyrrh.& infundatur per noctem in ſucco calido, colentur,& fiat Syrupus, qui condiatur Coral. panno raro inuolutis, & dum decoquitur irroretur aceto, vel hoc ſucco miſceatur.

Syrupus de Roſis ſiccis.

℞.Infuſionis Roſarum ſiccarum,
Sacchari elect. ana partes æquales.
Ingred.ij.

Fiat Infuſio, vt illa recentium, ſed minor ſit Roſarum copia.

Syrupus de Praßio Meſue.

℞.Praſſij vnc.ij.
Hyſſopi,
Adianti, ſcilicet Capil.Ven. ana dr.vj.
Glycyrrhizæ vnc.j.
Calaminthes,

Anisi,
Rad. Apii,
Fœniculi, ana drach. v.
Ireos drach. iij.
Sem. Maluæ,
Fænugræci, ana drach. iij.
Sem. Lini,
Cydoniorum, ana drach. ij.
Vuarum passarum purg. vnc. v.
Ficus passas nu. xv.
Penidiorum,
Mellis despumati, ana lib. ij. *Ingr. xviij.*

Decoquantur omnia secundùm artem in nouem lib. aquæ ad consumptionem dimidii, colentur, & cum Penidiis, & Melle fiat Syrupus.

Syrupus de Moris, qui Diamoron à Mesue, & à multis appellatur.

℞. Succi Mororum Domesticorum,
Battinorum, i. Rubi, ana lib. i. ß.
Sapæ,
Mellis, ana lib. j. *Ingred. iiij.*

Igni

Igni lento coquantur ad Mellis ſpiſſitudinem.

Diamoron à Galeno lib. vi. Comp. Med. per loca cap. I.

℞. Succi Mororum lib. v.
Mellis lib. j. *Ingred. ij.*

Decoquantur. At Heras Cappadox in lib. Medicamentario, referente Gal. ponebat Mellis lib. vnam, & Succi libr. vj. addit Galenus interdum Crocum, Myrrham, & Omphacium.

Dyacarion. ſiue Syr. de Nucibus, inuentum à Gal. vt ſcribitur lib. 6. de Comp. Med. per loca, cap. I.

℞. Succi corticis externi Nucũ in vigore exiſtentium lib. v.
Mellis lib. j. *Ingred. ij.*

Cortices in mortario contundantur, & ſuccus linteo excoletur; eſt enim aquoſus, & compage tenuis. Hæc Gal.

Dia-

Dyacarion Mesue quod est suauius.

℞. Succi ex corticibus Nucum viridium diebus canicularibus extracti lib.iiij.
Mellis lib.ij. *Ingred.ij.*

Coquantur ad Mellis crassitiem.

DE



DE MODO ECLEGMATA PRÆPARANDI, SEV LINCTVS,

Quos Arabes Lohoc dicunt,

COMMENTARIVM IIII.



Eclegmata, ſeu Linctus ab Arabibus Lohoc vocata, appellant Græci illa Medicamina, quæ delingi pro vitiis thoracis ſolent, quæ à Recentioribus Lambetiua vocantur. patefecit iam dicta Gal. 7. de Comp. Med. per loca cap. 1. dicens: Pharmacum Electon, hoc eſt delingibile: talia etiam Arteriaca dicuntur; quia medentur illis affectibus, qui aſperam arteriam infeſtant, ſic dicta à meatu in pectus deſcendente, vt lib. de Theriaca ad Piſonem.

Modus hæc conficiendi ſit talis. Mel curioſè, vel Saccharum ad ſpiſſitudinem, vel craſſitiem Syrupi redigatur optimè deco-

decocti. Mel esse percoctum desumendum scribitur per loc. vbi de Arteriacis. Cui alia peroptimè trita; & læuigata addantur: Continuò permiscendo: Quæ confestim ab igne auferantur, hæc omnia potissimùm leguntur Arteriaca quartadecima Andromachi. Sed varia sunt memoria custodiēda, dum hęc miscentur liquefactis, vt oblata occasione talia medicamina Pharmacopæus parare sciat. Si Penidia Eclegma recipiat sola, cum aliquo liquore, vt Violarum aqua dissoluantur, & ad crassitiem decoquantur Mellis, vt Mesue, Haly. lib. 10. & Serap. lib. de Antid. At si Mel præterea, aut Sapa, simul bulliant, & coquantur. Et si Penidia sint pauca, cum terendis terantur.

Amygdalæ, Pinei, Semina Papaueris, & similia in mortario lapideo diligenter comminuantur, & cum istis Penidia sit pauca, & per cribrum traiiciantur. Sic & Dactylorum caro prius maceratorum, & aliorum fructuum. Similiter Radices decoquantur, & per cribrum transmittantur.

Gummi, Tragacantha, Myrrha, Thus, Hypocistidis succus macerentur Passi aliqua portione, veluti 7. secundum loc. ex Asclepiade per diem, vt in Arteriacis variis

riis narratur: ſi non Paſſo, aut Farfaræ decocto, aut Violarum, aut Maluæ, vel ſimilium diſſoluãtur. Poſſunt etiam triturari, ſed non ita ſuaue, ac blandum, vel lene redditur medicamentum; immo temporis tractu areſcit; cum talia humiditatem totius medicamenti ad ſe rapiant, quod multis fuit ignotum; & ideo eorum triturationem probarunt.

Error aliquorum.

Maceranda etiam ſunt Semina lentore prædita, atque mucoſo ſucco, vt Pſyllium, aut Cydoniorum ſemen, & Lini, & huiuſmodi, vel nodulo inuoluenda, ſi Eclegma liquorem in ſe contineat, ſin minus terantur lapideo mortario.

Si Crocus ſit vnum ex componentibus, & Linctus aliquo liquore cõficiatur, linteolo mundo ligetur, & in liquorem iniiciatur, qui cum craſſeſcit, Crocum expreſſum reiicito, veluti 7. per loc. quod etiam legitur in med. Aſclepiadis: Vel ſolitarius tritus aliis admiſceatur ſublato ab igne vaſe.

Reſina cum Melle decoquatur, & diſſoluatur imperante Galeno eodem loco, ſic & Chalbanum, quæ in fine addantur, ſic & Myrrha, & ab igne auferantur, vt Andromachus.

Opium, cum ſit ſuccus, diſſoluendum,

&

& post omnia addendum.

Si igitur aliquod sit Eclegma parandum: postquam Saccharum, aut Mel fuerint dissoluta vnà cum Penidiis aliquo liquore ad Serapii formam decocta, in ipsum inijciantur Mucagines, & Radices decoctæ; postea Amygdalæ, Pinei, & similia; deinde pulueres, post has Gummi, Succi, & Lacrymæ dissolutæ, & denique Crocus, si tritus: & Opium diligenter læuigatum. Vase fictili coquantur ad ignem mollem, & non fumantem: sed melius erit hoc agere duplici vase iubente Gal. 7. per loc. Leuiter bulliant, sed potius aliqua eorum fiat euaporatio, & ab igne remoueantur, semper accuratè pistillo buxeo permiscendo. Sit tritorum maior copia, quàm illorum, quæ in Electariis imponitur, loquor pro singula libra Sacchari, vel Mellis; sint pulueres vnà cum illis, quæ incrassant, saltem vnciȩ quattuor, dummodo aliud non sit à Scriptoribus Medicamenti decretum. Vasis Argenteis, aut Vitreis seruentur iubente Galeno 7. per loca. Facilè inalterantur, & contaminantur putredine.

Eclegma

Eclegma de Pineis Mesue, & circa ipsum Exercitatio.

℞. Nucleorum Pinearum drach. xxx.
Amygdal. dulcium,
Auellanarum assatarum, i. diligenter exsiccatarum,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Glycyrrhizæ,
Succi ipsius,
Amyli,
Adianti,
Radic. Ireos ana drach. iiij.
Carnis Dactylorum fuluorum drach. xxxv.
Amygdal. amararum drach. iij.
Mellis passarum,
Sacchari albi,
Buthyri recentis ana drach. iiij.
Mellis q. s. scilicet lib. ij. at si corpulentius desideras, lib. j. ß. *Ingred. xvj.*

Nuclei Pinorum, Amygdal. dulces, & amaræ, Auellanæ, & carnes Dactylorum in mortario lapideo diligentissimè aut simul aut aliqua solitaria terantur, priùs tamen omnia & ab inuolucris, corticibus, & mem-

membranulis sint purgata, ac priuata, & postea per cribrum tarum trãsmissa, Succus Glycyrrhizæ, Gummi, Tragacanthum dissoluantur, ac macerentur Violarum decocto, vel terantur placidè, ne in vnum coeant, Radices Ireos, Adiantum subtilissimè læuigentur, & Amylum: Mel optimè sit decoctum, & curiosè despumatum, in quod iniiciantur primo Mel Passarum, postea Gummi si dissoluta, deinde Amygd. & huiusmodi, & tandem pulueres, & Butyrum immisceatur, & cum euaporata fuerit superflua humiditas ignis calore placido, aut leuissimè ebulliendo, ab igne remoueatur confectio, & vitreo vase, aut argenteo recondatur.

Linctus de Scilla ex Asclepiade, Gal. referente 8. per loc. cap. 6.

℞. Succi Scillæ crudi,
Mellis Attici ana lib. j. *Ingred. ij.*

Ad prunas admota coquito. Mesue similem reliquit descriptionem, sed Mel statuit despumatum esse, quod forte tamquam notum reliquit Asclepiades. At si

mitius à Medicis desideretur, seruentur quæ à Gal. lib. 8. Simplic. c. de Scilla, quæ: *Præstat autem, aut assam, aut elixam sumere; sic enim virium eius vehementia exsoluitur.* At Mesue absolutè Scillæ succum imposuit; garriant quidquid nõnulli imaginantur, cum enim optat assatam esse, hoc apertè scribit, vt in Lohoc ad asthma sic, Recipe Scillæ assatæ drach. quattuor.

Error aliquorum.

Linctus è Succo Caulium Mesue.

℞. Succi Caulium lib. v.
Sapæ,
Mellis añ lib. j.
Penidior. vnc. iij. *Ingred. iiij.*

Coquatur succus auferendo spumam ad consumptionem trium librarum, aliis admisceatur, & coquantur ad Mellis compagem optimè cocti.

Eclegma de Pulmone Vulpis Mesue capite de Phthisi:

℞. Pulmonis Vulpis,

Succi

Succi Glycyrrhizæ,
Adianti,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana vnc. j.
Sacchari in aqua decocti, aut Myrtorũ succo q. s. vt libra vna cum dimidia.
Ingred. vj.

Saccharum cum sex vnciis aquæ ; aut Myrtorum succi liquescat, & decoquatur ad crassitiem, cui cetera trita diligenter addantur: Pulmo sit optimè exsiccatus, & in frustula dissectus, qui cum aliis semitritis comminuatur.

Eclegma sanum, & expertum Mesue; & ordo conficiendi.

℞. Cinnamomi,
Hyssopi siccæ,
Glycyrrhizæ ana drach. ß.
Zizipha,
Myxa, id est Sebesten ana nu. xxx.
Vuarum passarum, à semine purg.
Ficuum passarum siccarum,
Dactylorum ping. ana vnc. ij.
Fænugræci drach. v.
Adianti, scilicet Capil. Vener. M. j.

Sem. Anisi,
Fœniculi,
Lini,
Ireos,
Calaminthes ana drach. iij.

Coque omnia in quattuor libr. aquæ ad consumptionem duarum librarum, colatum coque cum duabus lib. Penidiorum ad Mellis crassitiem, tunc adde

Nucleorum Pinearũ depellatorũ dr. v.
Amygd. mundatarum,
Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Amyli ana drach. iij.
Ireos drach. ij. *Ingred. xxiiij.*

Misce omnia probè, donec album fiat medicamentum. Coquãtur illa prima secundùm ordinem & naturam decoquibilium, & circa finem addatur Cinnamomum, & postremò Adiantum. Tragacanthum, & Gummi aliqua decocti portione macerentur, & per cribrum rarum transmittantur.

Eclegma de Papauere Mesue.

℞. Sem. Papau. albi drach. xxv.

Amygd.

Amygd. dul. excortic.
Nucleorum Pinearum,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Succi Glycyrrhizæ,
Amyli ana drach. x.
Sem. Portulacæ,
Lactucæ,
Cydoniorum ana dr. iiij.
Croci drach. j.
Penidiorum alborum vnc. iiij.
Syrupi papaueris quantitatem sufficiẽtem pręsertim albi, & nigri cum semine Lactucæ, & Violis facti. Quantitas sit duarum librarum cum dimidia. *Ingred. xiij.*

Papaueris semina, vt iam diximus cum Amyg. Pineis, & Penidiis terantur in lapideo mortario, succus Glycyrrh. in Syrupi aliqua portiuncula dissoluatur, Crocus post omnia optimè leuigatus addatur.

Eclegma de Radicibus Farfaræ.

℞. Radicum Farfaræ, id est Tussilaginis, aut vnguis Caballinæ lib. ß.
Sacchari, aut Mellis lib. j. ß.

Nucleorum Pinearum vnc.j.ß.
Vuarum passarum purg. vnc.ij.
Coquantur in aqua Tussilaginis radices, & per cribrum transmittantur, Pinorum nuclei, & Vuæ passæ simul terantur, & cum Melle, aut Sacchato ad Mellis compagem decocto, aliqua portione decocti radicis liquefacto, fiat Eclegma; cũ aliqui addunt;
Croci,
Macis,
Cinnamomi,
Caryophyl ana scrip.j.
Succi Glycyrrhizæ scrip.iiij. *Ingred.x.*

Succus dissoluatur decocti leuissima quantitate, & cetera læuigentur.

Eclegma ex Mucagine Psyllij.

℞. Mucaginis Psyllij secundùm artem factæ vn.ij. Sacchari albi, clarificati cum Violarum aqua lib.i. *Ingred.ij.*
Coquatur Saccharum donec candidum fiat, addatur Mucago, & ab igne remoueantur semper vigorosè agitando, donec optimè vnita sint.

Sic

Sic parantur Eclegmata, vel potius Linctus, ex Semine Lini,
Fenugræci,
& Cydoniorum.

Linctus è Capitibus Papaueris, seu Diacodion à Galeno appellatum, & descriptum lib. 7. de Comp. Med. secundum locos, & etiam à Mesue relatum.

℞. Capita Papaueris x.
Aquæ pluuiæ sextarium vnum, id est vnc. xviij. dr. ij. & scrip. ij.
Mellis Attici sextarium ß. id est vnc. xij. dr. vij. scrip. j. & g. viij. *Ingred. iij.*

Præmacero autem ea non ad triduum, velut Heras, sed neq; statim coquo, sed si quidē humidiora, & molliora fuerint ad vnū diē, accipienda autem est etiam nox in huiusmodi sermonibus: si verò duriora, & sicciora lōgiori tempore, accipiēda verò non sunt indurata, nec valdè mollia; sicciora enim exiguū succum habent, humectiora crassum, & crudum. Sint hæc mediocria; terminus coctura sit, non vt tertia, aut quarta, aut aquæ ali-

aliqua talis pars fiat reliqua, sed cum in totum flaccida fuerint facta, deinde exprimantur, admisceatur Mellis dimidia mẽsura, & simul coquenda ad lentum ignem ad compagem Attici Mellis. Miscenda etiam huiusmodi Pharmaco, dum coquitur, radix dulcis aut eius succus, interdum loco Mellis Sapa, & quandoque & Sapa, & Mel. Gal. hęc. Sed hæc à Medicis decernantur. decoquit Mes. capita Pap. ad duarum partium consumptionem.

Diacodyon cum Sapa Mesue.

℞. Capita Papaueris cum seminibus n.x.
Aquæ pluuiæ sext.j. videlicet vnc.xviij. dr.ij scrip.ij.
Sapæ sext. ß. videlicet vnc. xij. dr. vij. scrip.j.& g.viij.circiter. *Ingred iij.*

Macerentur horis viginti quattuor, decoquantur ad ipsorum dissolutionem: seu ad duarũ partium cõsumptionem, cola, & cum Sapa dimidio prunis percoque. Mes.

Error multorum. Quot exstant Seplasiarij, qui capita semine priuata, & admodùm exsiccata in quacumque aqua macerant? & non per longum tempus, sed per sex, aut octo horas tantùm? & hoc maximo cum detrimẽ-

to ægrotantium: si dicam omnes, fortè erratum non committam: Sextarium non semper pendet exempli gratia vnc. xx. sed interdum & magis, & minus pro diuersitate mensurabilium, & quandoque secundum varia genera sextarii.

Eclegma Diatragacanthi frigidi Nicolai Alexandrini.

℞. Tragacanthi vnc.ij.
Gummi Arab. albi vnc.j. & drach.ij.
Amyli à vulgo Farina Amidi drach.iiij.
Glycyrrhizæ drach.ij.
Sem. Melonum,
Cucumeris,
Citrulli, id est Anguriæ ana drac.ij.
Penidiorum vnc.iij.
Caphuræ scrip.ß.
Syrupi Violacei quantitatem sufficientem, id est lib.ij. *Ingred.x.*
Fiat, vt est artis.

Eclegma de Penidijs Nicolai eiusdem.

℞. Nucleorum Pinearum,

Amy-

Amygd. dulc.
Sem. Papau. albi ana drach. ij. & scrip. j.
Cinnamomi,
Zingiberis,
Caryophyl.
Succi Glycyrrh.
Gummi Arabici,
Amyli,
Sem. Melonum,
 Cucumeris,
 Citrulli, id est Anguriæ,
 Cucurbitæ ana drach. j.
Caphuræ scrip. j.
Violarum vnc. iij.
Aquæ puræ lib. j.
Penidiorum drach. xvj.
Sacchari lib. j. *Ingred. xviij.*

Violæ coquantur in aqua ad diminutionem tertiæ partis, & colentur, colato adde Saccharum, & bulliant ad Mellis crassitiem; deinde pulueres, & Penidia adiungantur.

Eclegma pectoris vitia mulcens, quod Saponeam multi vocant.

℞. Nucleorum Pinearum vnc. iij.

Amyli

Amyli vnc.j.
Sacchari decocti ad Serapij formam lib.j. *Ingred. iij.*
Pinei diligenter irrorati Violarum aqua comminuantur, & Serapio calido vnà cum Amylo addantur.

Aliud.

℞. Penidiorum vnc.ij.
Amyli vnc.j.
Amygd. dulc. vnc.iij.
Serapii ex puro Sacchare aqua Violarum dissoluto lib.j. si liquidius optas lib.j.ß.
Sacchari in glaciei formam concreti, quod à Vulgo Candi dicitur, crassiusculè triti vncia j.ß.
Misce.

ORDO

ORDO CONFICIENDI ELECTARIA,

COMMENTARIVM V.

Quid sit Electarium, & Antidotus, & quot genera eorum existant. *Cap. I.*



SOLENT Medici Electaria illa Pharmaca vocare, quæ inter illa, quæ per os desumuntur, mollem consistentiam, seu substantiam ob variorum mistionem adepta sunt socio tamen Melle, aut Saccharo, aut vtrisque simul, aut alio simili, vt Manna, quibus cetera excipiuntur. Sunt tamen nonnulli arbitrantes hoc nomen Electarij Confectionibus quibusdam inditum fuisse, quoniam illæ electis, atque perfectis simplicibus debent confici, atque parari. Hæc cuiuscumque sint generis Antidota ab Actuar. lib. de Comp. Medic. per genera, dicuntur

tur, cuius verba : *Excogitata sunt Antidota ex Herbis, Succis, Lacrymis, Seminibus Radicibusque congestis, operosèque tritis in vnum cum Melle coactis.* At Galeni tempore Antidota appellabātur solùm à Medicis, etiamsi Melle non excipiebantur, illa Medicamenta, quæ non extrinsecùs admota, sed intus assumpta erant: quod ita scribitur lib. 1. de Antid. & 2. cap. 1. & 6. *Mos itaque iunioribus Medicis est Antidotos appellare, non modò quæ aduersus mortifera medicamenta, sed etiam quæ contra corporis malas affectiones. Quorum aliqua si libros iam dictos percurramus, sub forma potionis existunt; quædam in puluerem detrita, & quædam Melle, aut Sapa excipiuntur.* Aliqui recentiorum solùm Antidota vocant illa Electaria, quæ ex Aromatis conficiuntur.

Sed his prætermissis descendamus ad rationem ea componendi, quæ ex Melle, aut Saccharo, aut vtrisque, aut similibus conficiuntur. Horum duo statuemus esse genera. Vnum erit illorum, quæ aluum aut leniendo, aut purgando subducunt, atque mouent: alterum illorum, quæ alterant, atque roborant maximè principes partes, quorum quædam Opium,

pium, aut huiusmodi genera medicamentorum, aut simplicium recipiunt.

Via præparandi Illa, quæ aluum mouent, siue leniendo, siue purgando.
Cap. II.

ORdo cõficiendi Antidota, seu Pharmaca aluum subducentia, & humores expurgantia sit talis, sed supponamus parãdum esse Electarium aliquod, omnes in se continens Simplicium species, siue ingredientia, quibus solent hæc interdum parari; quæ si omnia in aliquo non suscipiantur, in eorũm defectu suppleant illa, quæ subsequuntur. Circa quem sunt hæc obseruanda, quæ numero sunt decem.

I. Mel, aut Saccharum, aut vtraque simul, aut Manna si multa, illis admista, aut sola diligenter cum decocto, aut aqua, aut alio succo, & liquore, qui in descriptione contineatur, placidè, ac diligenter semper despumando; suaui igne decoquantur ad Serapii formam, atque lentorem.

II. In quæ, dum ebulliunt, si Mucagines adfuerint, iniiciantur, & lente coquantur.

III. Post.

III. Postea addantur, vel eodem tempore Amygdalæ, Pineorum nuclei, semina maiora frigida in lapideo mortario simul comminuta, & aqua pauca, aut decocto irrorata, & per cribrum setaceum rarum traiecta.

IIII. Post hæc, si ingrediatur, Dactylorum caro diligentissimè mundatorum, Prunorum, & Passarum, quæ omnia sint nucleis priuata, & per cribrum transmissa superfluæ humiditatis expertia.

V. Deinde Cassiæ pulpa, & Tamarindorum per cribrum traiecta, & à superfluitatibus expurgata, aut aliqua decocti portione dissoluta, & manibus confricata, cum qua possumus & imponere Mannam, deinde bulliant cum aliis ad Mellis crassitiem, & cetera addantur: vel absumere Cassiæ humiditatem non ebulliendo, sed euaporando debemus.

VI. Post hæc Purgantia medicamenta solitariè detrita, vt Scammonium, Rhabarbarum, Sena, Turpethum, Polypodiũ, Helleborus, Agaricum, Myrobalani, & similia: & parũ refert me quidem iudice, si hæc aliis iam tritis diligentissimè misceantur, & maximè Scammonium, ne in vnum cogatur: immo ego semper cetera simplicia detrita purgantibus per-

permiſcerem, vt in qualibet parte eſſet quodlibet vaſe in terra depoſito.

VII. Penidia ſi multa cum Saccharo, aut Melle, aut aliis in principio liquefiant, ſi pauca aut cum Amygd. & ſimilibus terantur, aut vnà cum pulueribus ipſa etiam detrita imponantur.

VIII. Si Moſchus, aut Ambra, aut Caphura in aliqua harum confectione deſideretur, placidiſſimè piſtillo comminuãtur, aut aliqua leuiſſima portione Syrupi, quod melius erit, aut liquoris læuigentur, ac diſſoluantur, & poſt omnia addantur, vel tritis miſceantur igne ſubtracto.

IX. Dum hæc aguntur, piſtillo ligneo accuratè ſemper admiſceantur, vt quæcumque particula cuiuſcumque ſimplicis alteram tangat, & inalteret.

X. Mellis autem, aut Sacchari quantitas, ſi non ſit ab Autore præfixa, incerta reuera admodum exiſtit, cum hæc puluerata, atque ſpecies tantùm non recipiant, ſed interdum multa alia, quæ confectiones corpulentas, & craſſitie præditas reddunt, vt Caſſia, Pruna, Tamarindi, Amygdalæ, Semina alia, Mucagines, Manna, Nuces, Auellanæ, Penidia, Dactyli, Vua paſſa, necnon etiam interdum ipſa decocta craſſa, atque viſcida, quæ omnia

inter

inter arida non enumerantur; adde varios esse Scriptorum fines; nam Mes. ille doctissimus Medicus, ac peritissimus Pharmacopœus, interdum magnam copiam horum iubet imponendam esse, & tritorum paucam, vt in Diamanna, in quo Electario instituit vnam libram Mannæ cum vna succi Rosatum ebulliendam esse ad consistentiam; cui addit solum Scammonii vnciam vnam, & Mastiches tres drachmas. & in Dyacyd. purganti in duabus Mellis libris vncias tres cum dimidia tritorum, in quibus nullum reperitur incrassans, & in Elect. Rosato vncias tres cum dimidia tritorum cum lib. j. ß. Sacchari. Attamen vt plurimum sint tritorum vltra iam incrassantia pro singula libra Mellis tres vnciæ: vel Mel sit tanta quantitate, quanta requiritur ad acquirendam consistentiam conuenientem: etiamsi nec hoc seruatur à Mes. cum in Hiera Hermetis imperat tantam quantitatem Mellis imponendam esse, qua fiat, vt pasta, totum Electarium; quapropter ad naturam potius Pilularum accederet. & vice versa Elect. Rosatum liquidum conspicitur, atque fluxibile. Quæ omnia iam dicta agantur, dummodo non repu-

gnent descriptioni alicuius Scriptoris, cuius sententiæ semper obtẽperandum.

Ordo parandi talia Electaria à nobis propositus sententiis grauium Scriptorum comprobatur.

I. Coquere imperat, ac dissoluere Mel, Saccharum, aut Mannam, aut per se, aut simul vnita aliquo in liquore Mes. pluribus in locis, sed potissimum cap. de Diamanna, & in Diacoccu Gnidiu, & in Diaphysalidon: in primo enim cum succo Rosarum ipsam decoquit ad Mellis crassitiem: in secundo cum Saccharo, & sero lactis: in tertio in parte colati.

II. Mucagines ipso docente capite de Electario de Psyllio in decocto parentur, & cum Saccharo decoquantur, quibus cetera addantur.

III. Penidia si multa, cum Saccharo liquescant, vt Auicen. lib. 5. aut decocto iam colo transmisso, sicut Mesue, & Haly lib. 10. cap. 6. si pauca tritis immisceantur.

IV. Addatur Dactylorum pulpa à nucleis, & membranulis purgata, & per cribrum traiecta iubente Serap. lib. de Antid. & Haly.

V. Ante pulueres addit Pineorum nucleos, & huiusmodi à tuniculis purgatos, sic & Actuar. lib. de comp. Med. quo tempore, & Amygdalæ iniiciantur in mortario lapideo diligenter tritæ, & per cribrum traiectæ.

VI. Post hæc, vel ante trita iniiciantur iubente Mes. Cassia, Tamarindi, (& interdum Manna) quæ duabus ebullitionibus bulliant, aut semel feruefiant mundata tamen à seminibus, & aliis, vel prius aliqua liquoris parte dissoluantur, & bulliant ad Mellis crassitiem; hæc leguntur in confect. Hamech, in Diaphysalidon, in Triphera Persica, & in Diacoccu Gnidiu Mannam imponit.

VII. Deinde subtracto igne, aut æneo ab illo remoto trita, & pulueres addantur, vt placet Serapioni, Haly, Actuar. & aliis, & maxime si aromata, sicuti Galen. lib. 6. per loc. qui trita illa addit, *cum probe fuerit coctum Pharmacum olla iam in terra deposita.* Paulatim tamen hæc addantur docente Mesue, vbi de Triphera Persica.

VIII. Odorata vt Moschus, & Gallia, aliis tritis admiscet ille in Electario Rosato.

IX. At post trita instituunt Purgantia

 insper-

inspergenda esse Aetius, & Serap. & inter hæc Scammonium, vt Auic. quod interdum post omnia addit Mes. veluti in Confectione Hamech, quod ab ipso perpetuo non seruatur: quandoque enim Scāmonium ebullire facit, vt in Rosato, in Elect. de Psyllio, & de Manna. Sed quandoq; ceteris tritis purgantia admiscet, vt in Alchanzi, cuius verba: *Coquantur ad Mellis crassitiem, deponantur ab igne, pulueriZentur super illa Trochisci Diarhodon, de Eupatorio, Scammonium, folia Thymeleæ, Mirobalani, Turpethum, Agaricus, Iris, &c. prius inuoluta oleo Thymeleæ.* Quandoq; infundit aliquod Purgantium in aliquo liquore, postea exprimit, vt Agaricus, & cum Sacchar0, & Manna decoquit, vt in Diacoccu Gnidiu.

X. Decoquantur omnia Electaria igni lento, vel exigua flamma narrante Mesue, ne à feruido calore humiditas propria medicamentorum absumatur, & hæc satis, quæ numero sunt decem ab antiquis circa Electaria, aut lenientia, aut purgantia seruata.

Scammonium, & Colocynthidem non semper corrigenda esse.

Cum multa sint Electaria, & Catapotia, quæ

ia, quæ Scammonium, aut Colocynthidem in sui structura recipiunt: consonum erit rationi neglectis aliorum sententiis à nobis etiam mentis acie indagare si talia effrenia purgantia prius castiganda, & corrigenda veniant, vel sic synceris, minimeque emendatis vti debeamus in illis descriptionibus loquor, quæ à Mesue, aliove graui Scriptore proponuntur. Hoc facile nobis euadet adapertum, si diligenti animo, & accurate consideremus, & naturam Purgantium illorum, quæ insolenti, effrænique motu morbidos humores extrudere solent; & præterea facultatem aliorum, è quibus tale Electarium, vel Pilulæ, conficiuntur; his enim duobus optime perspectis in certam deueniemus cognitionem huius dubitationis.

Sunt Scammonium, & Colocynthis insignita æstuanti, feruidoque Calore, Morsu, & Vellicatione, & denique qualitate quadam naturæ humanæ aduersanti, quá aliqui Deleteriam, vel Malignam, vel quoquomodo Venenatam dicunt. Cognouit Galenus illa admodum calida esse lib. de vict. rat. com. 4. & 7. in morbis acut. & 4. Aphor. 45. & lib. de Purg. Med. facult. Morsum inferre partibus eorum acrimonia, & acutie scribitur eodem

 lib. de

lib. de vict. rat. & aliis in locis, quæ breuitati studens silentio inuoluo. Inimica esse humanæ naturæ elicitur ab Hp. dictis, cum affirmet repentinas, & modum excedentes euacuationes naturæ admodum esse molestas, quæ quidem ab huiusmodi purgantibus excitantur; quod forte etiam decreuit Arist. Sect. 1. Probl. 48. dum affirmat *Coctionem nullam illa admittere, immo si iusto plus data sint, perimere ægrotantes.* Et ideo non est mirum, si Mes. peritissimus ille Purgantium Medicamentorum Magister, autoritate Democriti impulsus hæc pronunciauit memoratu digna: *Aut enim malitiam à proprietate innatam, vt qualitatẽ venenosam, & vitæ nostræ inimicam emẽdamus.* Quam

In Cano. qualitatem, vt videre licet, & Malignam, & Deleteriam vocauit. Quod forte in-

In Cano. nuit Gal. lib. 3. de Simpl. Med. facult. ca. 23. dicens: *Alia vero in corruptionem, ac tanquam in venenum vertuntur, non autem perpetuo his permista est vis venenosa.* Et lib. de vict. rat. com. 2. & cap. 12. *Purgantia naturæ contraria, atque vt quispiam dixerit lethalia, & deleteria.* Attamen non est statuendum Purgantia inter venena collocari; Venenum enim dicitur, vel toxicum, Arist. teste libro iam dicto, quod



quod exigue datum necat: ſicuti etiam narrat Gal. variis in locis, ſed potiſſimum lib. j. de Semine; affirmandum tamen erit imaginem quandam veneni corporibus inferre: cum varios cruciatus, atque offenſas ſuſcitare ſoleant: quas, vt iam diximus, non tantum à tali purgatrice facultate pendere affirmamus, ſed etiam & ab immoderato eorum Calore, Mordacitate, & Deleteria qualitate, quib. inſignita exiſtunt Scammonium, Colocynthis, & ſimilia: à Calore enim exſiccantur partes, inflammantur, & ſqualidæ redduntur; vnde inexhauſta ſiti infirmi excruciantur: à Morſu, atque eorum acrimonia irritatur expultrix facultas, quæ adaucta inſolenti motu ora venarum reſerat, & humores à calore liquatos extrudit inferendo ventriculi angores, animi deliquia, & anxietates, & tandem vlcuſcula quædam, tenellas ſenſitiuaſque illas partes vexantia: à Maligna qualitate cordis paſſiones ſuſcitantur, vt Tremor, Palpitatio, & Syncope. Hæc omnia cognouit Meſue, & in medium attulit eorum cauſas; quarum aliqua etiam litteris prodidit Gal. 3. de facult. Simpl. cap. 26. dicens: *Euenire ſolet, cum purgans medicamentum vſqueadeo inualuit, vt in vaſorum*

ad ventrem pertinentium osculis mordicationem, apertionemque multam relinquat, assiduéque irritans, conuellensque corpora, quæ in vasis sunt, vires dissoluat, atque deijciat; nam quod in ventre euenire conspicimus, vbi vires eius in extremam inciderunt infirmitatem, id in venis accidere putandum. Hæc omnia nocumenta cum cognouissent grauiores Medici, placidè corpora sanandi cupidi, toto pectore excogitarunt, & vestigarunt illa genera medicamentorum, quæ tribus illis iam allatis oppugnare, & aduersari possent; vt castigata ignauam, tardam, ac mitem in actum ederent suam operationem; neminem enim eorum latebat purgantium Calorem, & Acrimoniam incitamenta, & irritamenta esse Purgatricis facultatis; cum hæc ab ipso calore maxime distet, si multis Medicis, & maxime Auer. lib. 5. cap. 21. colligitur est credendum. Omnia illa, quæ retardare possunt effrænium horum Purgantium operationem ante oculos nobis posuit Mesue, sedulus ille Pharmacopœus, nec non etiam illa, quæ Deleteriæ qualitati resistunt, & quæ non paucas nobiles partes roborant, atq; firmant. Hæc sub terno locantur genere: Aliqua illorum feruidum Calorem remittunt

mittunt: Alia eorum acrimoniam, atq; morſum obtundunt, & cohibent: & Nonnulla ab illorum praua qualitate partes quaſdam nobiles cuſtodiunt, & incolumes ſeruant. Calorem æſtuantem reprimunt, & remittunt frigida, & humida, à quib. etiam & acrimonia minuitur, & ideo Galenus, vt ſcribitur 14. Metho. exhibuit Scammonium cum ſero, tamquam corrigens illud. Morſum frenant, & acrimoniam obtundunt varia, quorum meminit Meſue dicens cap. 3. Amara ſubſtantia ſua acrimoniam purgantium quadantenus frangunt, & reprimunt, & ob id recte quidam Scammonio Aloen miſcuerunt, & ſtomachum firmant. Vnctuoſa lubricant, morſum frangunt, & aſperitatem leniunt. Hoc præſtant & Dulcia, quæ & celerant purgationem, & morſum ſerrantem frangunt. Sic & Inſipida, & Acida, & Stiptica, & Glutinoſa omnia, atque Lenta; ſed inter hæc omnia duo ad ſidera Stiptica videlicet, & Glutinoſa extollit, cuius verba: *Stiptica tribus modis melius reddunt medicamentum. Primò, quia ſubſtantia ſua purganti repugnat, non modo craſſa ſed frigida, qua illius acrimoniam, & inflammationem frangunt: & ob id Maiores Scammonium in Malo Cydonio co-*

mo coxerunt. Secundò, facta ventriculi cõpressione, citius & facilius Purgatorium è corpore propellitur: Stiptica denique ventriculum, & reliquas partes nutritioni destinatas roborant, & ventriculi nauseam sedant. Postremò Glutinosa omnia sua substantia medicamentorum malignitatem frangunt, & exulcerari viscera, venarumque ora aperire interpositu suo prohibent. Quapropter Tragacanthum, aut Mastiche, aut Bdellium rectè miscentur Colocynthidi & aliis. Hæc ille, quod & Mucagines efficiunt, vt particularibus locis ad aperte demonstrat. Cognouerunt etiam hęc ante ipsum Gręci Medici. Hip. enim lib. de vict. rat. con. 2. t. 12. exhibet protinus post medicamẽtum purgans Ptisanam: quæ sui lentore, atque leni qualitate mordicationem, & calorẽ sui frigiditate, & humiditate frangere, & remittere potest. Diosc. lib. 4. c. 182. exhibendum esse Scammonium cum Selini, aliove semine, vel Mulsa: illa enim vnctuosa, & hæc dulcis existit. Sic & Aetius Ser. 3. Colocynthidem infundebat Sapa, aut Vino per diem. & Paul. libr. 7. & Rhas. Melicrato. Probantur à Galeno, & Adstringentia, & Stiptica, quoniam ab his effrænis illa purgatio ignaua & imbecilla redditur, cum contraria sint

Gal. etiam 1 de Alim. cap. 1.

purgan-

purgantibus, sicut 3. de Simp. facult. scribitur, & lib. 1. cap. 2. dum de Scammonio Pomo Cydonio decocto, *quod quidem Pomum reiecto Scammonio aliqui mandendum exhibebunt.* Qui præterea lentorem habentia probauit lib. 1. cap. 1. de Comp. Med. per loca, dum Scammonio, & Colocynthidi Masticen, & Bdellium admiscuit. Aduersantur Deleteriæ qualitati, vel naturæ humanæ oppugnanti Alexiterium, quod Zezebar Arabes vocant, nec non etiam Aromata omnia, & odorata; nam hæc, vt reliquit scriptum Mes. cap. 3. *Flatus tenuant, & dissipant, incidunt materiam crassam, & attenuant, obstructiones aperiunt, penetrandi virtutem impertiunt. & suo calore, cum quædam sint acria, purgationem celerant, & quæcumque odore iucundo prædita existunt, nauseam non tantum sedant, ventriculique subuersionem; sed cerebrum, & corroborant, animumque exhilarant.* Hæc ille. Cognouit etiam Gal. variis in locis beneolentia admiscenda esse purgantibus; sed præcipue Comment. 2. de Morb. acutis, cuius verba: *Quo item modo in horum medicamentorum potu seminum aliqua, quæ boni sint odoris miscemus, quæ etiam malitiam obtundere nata sint, & operationem suam non prohibeant,* Orib. 1. Synop.

tenuan-

tenuandi, incidendiq; facultatem obtinētia, ita vt & crassos incidant humores, & vias, quibus euacuatio fiat, aperiant. His omnib. addit Mesue. *Elixationem; quoniam hæc excrementosum coquit humorē, flatus crassos, mordaces, & ventriculum subuertentes dissipat, eiusq; deniq; acrimoniam, motus in corpore molestos, vimq, excoriantem frangit. Propterea Scammonium coctum est præstantius in vase vitreo cum succo Rosarum, & oleo Amygdalarum dulcium.* Ab his omnib. etiamsi diuersa ratione castigentur, & corrigantur Purgantia illa medicamēta, quę effrænia vocantur, quę omnia Mesue peritissimus Medicus etiam particularib. purgantib. adaptauit, vt Scammonio. Cuius hæc exstant dicta. Quinquè sunt noxæ, & nocumenta, quæ infert Scammonium corporib. Primò subuertit flatu mordaci ventriculum ad nauseam, & ideo coquitur in Pomo, præsertim cum Dauco, Galanga, Semine Apii, Fœniculi, & similibus. Secundo accendit calore vehementi corpus, febres interdum accendit, inexpletamq, sitim, hæc noxa tollitur refrigerantibus, & flammeam caliditatem frangentibus, vt Mucagine Psyllii, succo & carne Prunorum, succo & aqua Rosarum, & Violarum recētium, Cydoniorū

Lib. de simpli. cap. de Scammon.

succo,

ſucco, Spodio, oleo Roſaceo, aut Violato. Tertio loco, cum immodice ora venarum aperiat, Stiptica excogitata ſunt, quę acrimoniam tollunt, & permeandi facultatem reprimunt, talia ſunt Maſtiche, caro Cydoniorum, Mirobalani, & Aloe. Quarto loco, conueniunt illa quę leniendo, & lubricando aluum ſubducant, ut celeriter deſcendant, ne corpus deturbent, vt Pſyllii mucago, & ſimilia. Poſtremò, cum ſuæ ſubſtantiæ proprietate oblædat cor, vētriculum, & hepar, corrigatur Cardiacis, Stomachicis, & Hepaticis. Hæc omnia à Meſue tam diligenter narrata demonſtrant hoc in particulari corrigendo purgāti totam illam vniuerſalem Methodum elucere. His narratis redeamus ad initium noſtræ orationis, & dicamus, niſi affirmamus caſu à Meſue, ceteriſq; Medicis antiquis Electaria, atque Pilulas purgantes confectas fuiſſe, loco Scammonii Dachrydium, & Colocynthidis Trochiſcos Alhandal ſumendos non eſſe, quotieſcumque in deſcriptionib. adinueniantur corrigentia, niſi autor Medicamenti hoc decernat, eius enim dictis, atq; mandatis eſt acquieſcendum: varii enim eius exſtant ſcopi, atq; fines: quoniam interdum ſtudet non tantum euacuare, ſed etiam al-

iam al-

iam alterare, aut scindere humores, attenuare, aut discutere, aut roborare: & ideo adauget numerum purgantia castigantium: interdum à propinquis euacuare humores subtiles, & fluidos, vel quoquomodo lętos cupit blande, & placide; quapropter multa Stiptica illis immiscet, vt ignaua, atque lenta fiat eorum operatio: quandoque à remotis optat educere humores, vt videre licet in Pilulis nonnullis, in quibus minima sunt corrigentia: nemini enim est obscurum, ad multitudinem castigantium, & præcipue Stipticorum, & incrassantium minui purgantium effræni im actionem, & ideo Gal. ni fallor, lib. 1 de Com. Med. secundum loca, c. 1. vbi de Pil. ex Colocynthide, hæc: *Cum succo Absinthii fiat massa, antea vero & Masticben Chiam, & Bdellium adieci; hoc enim modo Quintus vtebatur, verum propter quid illa reiecerim, alio loco explicabo*, & 5. Meth. c. 14. *Sane satisfaciunt ad vsum, quæ sine Gummi componuntur*. Reiecit autem illa, si danda fides est iam dictis, vt assequeretur Pilulis illis cōpletam, atq; vehementem euacuationem, quæ à viscidis illis, & Gūmi vetabatur; & ideo interdum vtitur ille aliquo effræni medicamento minime castigato, cupiens validam eius operatio-

operationem, vt cap. de Quartana, lib. I. ad Glaucon. dum de Elleboro, sic: *Elleborum album exhibendum infixum & permistum radiculis, quod si nihil fecerit, Elleborum ipsum.* Hæc patefaciunt corrigentia non tantum minuere purgatricem facultatem; sed quandoque ipsam auferre. Si igitur Galenus, vel Mesue, vel alius celebris Medicus iubeat parandas esse Confectiones aliquas, quæ Scammonium, aut Colocynthidem recipiant, non debet Pharmacopæus eorum loco vti Dachrydio, aut Trochiscis Alhandal; vt ille, qui ignorat varios Scriptorum scopos, atque fines; nisi in descriptione contineantur; semper enim in dictis Compositionibus à Mesue descriptis, aut vnum, aut duo, aut plura sunt castigantia talia medicamenta: etiamsi & quandoq; nullo corrigenti exhibeantur, teste Galeno supradicto loco: & ideo mandata Scriptorum sunt exsequenda illo modo, atq; conditione, qua imperantur: nunc enim plenam cupiunt, atque perfectam purgationem, nunc imbecillem, & mãcam, nunc roborare, nunc relaxare, nunc alterare, nunc discutere, & quandoque incidere, & attenuare vnà tamen cum humorum euacuatione tentant: & ideo Mesue, Rufo

tamen

tamen impulsore, dum de variis modis Scammonii parandi hæc: *Non solum minuenti, sed etiam aut augenti, vel mutanti vires Scammonii pro scopis variis, si affectus postulat, & respatitur.* Cum igitur fines, atque scopi varii Medicorum Seplasiariis sint ignoti, & præterea ignorent naturam medicamentorum illorum, quibus Scāmonium, Colocynthis, & similia castigantur, quorum aliqua fere semper in descriptionibus existunt, non audeant Trochiscis Alhandal, vel Dachrydium Colocynthidis, vel Scammonii loco vti.

Error multorum Seplasiariorum, ac etiam Med.

Electuarium aluum leniens Rhasi adscriptum, quod Lenitiuum dicitur, & circa ipsum parandum Exercitatio.

℞. Passarum enucleat. vnc. ij.
Capil. Veneris M. ß.
Violarum,
Hordei mundi ana M. ß.
Zizipha,
Mixa, .i. Sebesten ana num. xx.
Glycyrrhizæ mundæ vnc. ß.
Prunorum,
Tamarindorum ana drach vj.

Senæ

Senæ,
Polypodii ana vnc. ij.
Aquæ lib. v.

Decoquantur ſaltem ad conſumptionem dimidii, in aquam prius iniiciendo Pruna, Sebeſten, Polypodium, & Vuas paſſas, quæ ſint nucleis priuatæ, aut diſciſſæ, ſic & Glycyrrhizam, deinde Senam, poſthæc Violas, Capil. Ven. & Tamarindos colentur, & exprimantur, expreſſo adde

Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum,
Sacchari violati,
Sacchari optimi,
Pulpæ Prunorum ana vnc. vj.
Ingred. vxij.

Quæ omnia lento igne agitando placide bulliant, vel potius euaporando perueniant ad formam, ac conſiſtentiam Electarii, cui adde pro ſingula libra Senæ optime tritæ, & cretæ vnciam vnam, & ab igne remoueatur. Aliqui addunt Ponidiorum vnc. tres, & aliqui Mannæ vncias ſex: ſed hæc imperentur à Medicis.

Diacassia Ioannis Concoreg. & modus ipsam conficiendi ab ipso institutus narratur.

℞. Prunorum,
Violarum ana vnc. vj.
Aquæ commun. lib. vj.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis, colentur, & addantur

Mannæ Elect.
Pulpæ Cassiæ ana vnc. vj.
Tamarindorum vnc. v.

Bulliant hæc igni lento agitando, donec crassescant, quibus addantur

Sacchari rubei lib. j.
Sacchari candi pul. vnc. iij.
Penidiorum vnc. ij. *Ingred. ix.*

Quæ iterum bulliant. At si secundum ordinem à me descriptum agere volumus, cum illo decocto bulliat Saccharum ad Syrupi consistentiam, cui imponantur Cassiæ pulpa, Manna, & Tamarindorum pulpa, & denique Saccharum Candi, & Penidia solitaria trita.

Diacassia

Diacassia Mesue forte adscripta illi pro Clysteri.

℞. Succi Violarum;
Betæ, seu Blitis ana vnc. iij.
Mercurialis,
Maluæ;
Herbæ Muralis, à vulgo Vitrioli ana vnc. iij.
Succi Absinthii vnc. ij.
Mellis quantitatem sufficientem sc: lib. j. *Ingred. viij.*

Coque ad crassitiem Mellis, tunc adde Medullæ Cassiæ libram vnam.

Diaprunum simplex Nicolai Mirepsii.

℞. Pruna Damascena recentia num: centum nucleis priuata.

Decoquantur in sufficienti quantitate Aquæ, ita vt cooperta sint, deinde per cribrum setaceum transmittantur. in decocto bulliant vncia vna florum Violarum, coletur, colatum coquatur cum duabus libris Sacchari ad crassitiem Syrupi, cui adde

Pulpæ Prunorum iam dictæ lib. j.
Cassiæ,
Tamarindorum ana vnc. j.

Quæ dissoluantur aliqua leui decocti portione, & iterum bulliant placide semper agitando spatha lignea, ab igne remoueantur, & addantur hæc

Santalorum Alborum,
Rubeorum,
Spodii,
Rhabarbari electi,
Cinnamomi ana drach. iij.
Rosarum rubearum drach. ij.
Violarum,
Sem. Portulacæ,
Scariolæ. scil. Endiuiæ min.
Berberis,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi ana drach. ij.
Sem. Cucurbitæ,
Cucumeris,
Melonum ana dr. j. *Ing. xx.*

Fiat puluis, vt est artis. Sint semina cortice priuata. Quot inueniuntur Seplasiæ, qui ex prunis iam exsiccatis neglecta ægrotantium vtilitate, & Scriptoris sententia hoc parant?

Error aliquorum.

Diapru-

Diaprunum Solutiuum, quod Completum dicunt.

℞. Jam dicti Diaprunis lib. j.
Dachrydii drach. vij. *Ingred. ij.*

Diligentiſſime permiſceantur longe ab igne, attamen ſit calidum, ſed melius erit vti loco Dachrydii Scammonio; cum à multis corrigatur ingredientibus.

Electarium de Myxis, vel Diaſebeſten Bartholomæi Montagnanæ, & via parandi ipſum ab ipſo instituta.

℞. Sebeſten ſcil. Myxa vnc. v.
Aquæ Violarum lib. j.

Infundantur cultro plagata Myxa in dicta aqua calida per duodecim horas; poſtea bulliant ad dimidium, & colentur colo raro, & laxo, cui adde

Aquæ Ireos,
Anguriæ ana vnc. vj.
Sem. Commun. frigidorum,
Violarum ana vnc. j.
Succi Mercurialis vnc. iiij.

Bulliant ad exhalationem dimidii, colentur, cui adde

Penidiorum vnc. viij.
Diaprunis non solutiui lib. j. ß.
Dachrydii drach. iij. ß. *Ingred. xiij.*

Error aliquorum. Fiat Electarium. Aliqui non leue committunt erratum, dum affirmant Myxa non esse ita maceranda, & ebulliendа, ne eorum lentor decocto communicetur, immo hoc cum ratione factum fuit ab inuentore Medicamenti, vt leniat, & humores acres compescat; sed hoc non est Seplasiarii. *Error alter.* Aliqui, vt aduersentur Scriptoris menti, aquæ Violarum libras duas recipiunt.

Descriptio Diasenæ Nicolai.

℞. Senæ vnc. iij.
Auellanas assatas. scil. valde igni exsiccat. nu. quinquaginta.
Serici torrefacti i. e. valde exsiccati drach. ij.
Lapidis Armeni, à Pictoribus dicitur Viride Cæruleum dr. j.
Lapidis Lazuli drach. iij.
Cinnamomi vnc. j.
Galangæ,
Caryophyl.

Carda-

Cardamomi maioris, & minoris.
Sem. Ozimi, ſcil. Baſil.
Croci,
Zingib.
Zedoariæ,
Foliorum Caryophyl.
Florum Roriſmarini,
Piperis,
Piperis longi,
Spicæ ana drach. ij.
Sacchari vnc. vj.
Mellis quantum ſatis, ſcil. libræ duæ cum dimidia. *Ingred. xxj.*

Lapides ſint abluti eo modo, quem capite de Lapidibus narrauimus, Auellanæ exſiccatæ, & à cortice mundatæ comminuantur ſolitariæ, & cum Melle iam decocto miſceantur cetera ſecundum artem, aut aliqua per ſe ſola terantur, & cribro tenui excutiantur. Sena optima ſeligatur, vt Folliculi à Meſue celebrati, & non folia, vt multi Seplaſiarii, pallentia, & vetuſtate diſrupta faciunt. *Error multorum.*

Triphera Perſica Meſue, & circa modum illam conficiendi Exercitatio ipſius.

℞. Succi Solani, id eſt, Solatri,
Endiuiæ ſcil. Intybi,

Apii,
Lupulorum depuratorum an. lib. ij.
Quibus hæc immitte
Violarum recentium, aut exſiccatarum in defectu recentium lib. j.
Folliculorum Senæ vnc. ij.
Agarici vnc. j.
Pruna Damaſc. nu. quinquaginta.
Caſſuthæ, .i. Cuſcutæ vnc. ß.
Myrobal. Cepularum, .i. Chebul.
Indarum,
Citrearum, .i. Citrin.
Oleo Amygd. frixarum, aut Violato ana drach. ij.
Spicæ Nardi drach. iij.

Coque igni prunarum lento, donec libra vnica, aut duæ, aut vt aliqui ſex ſuperſint, quibus iniice Epithimi drachmas quadraginta, & Mirobalanos, prius autem oleo Amygd. dulcium merſas, ferueſiant, tollantur ab igne, & colentur, in parte colati diſſolue

Tamarindorum recentium vnc. iij.
Pulpæ Caſſiæ vnc. iiij.
Mannæ vnc. ß.
Sacchari Violati vnc. xij.

Cola, vt mundata ſint à ſeminibus, & aliis. In parte reliqua, & Aceti libra vna coque

coque igni lento Sacchari albiſſimi libras tres, adde quod prius in ſuccis eſt diſſolutum, hæc ſunt Manna, Caſſia, Tamarindi, & Sacch. Viol. Miſce, percoque ad Mellis craſſitudinē. Poſtremo adde paulatim

Rhabarbari boni vnc. ij.
Mirobal. Citrearum vnc. ß.
Cepularum, ſc. Chebul.
Indarum ana vnc. j.
Bellericarum,
Emblicarum ana drach. iiij.
Sem. Fumariæ,
Trochiſci Diarhodon,
Macis,
Maſtiches,
Cubebarum,
Spodii, eius loco ex Ebore aſſato, & aqua Roſacea parato,
Santali Citrei,
Sem. quattuor frigid. an. dr. ij. ß.
Aniſi drach. iiij.
Spicæ Nardi drach. ij. *Ing. xxxix.*

Omnia in pollinem redigantur, & oleo Violato inuoluantur. Hæc Meſue, qui reuera in hoc Electario conficiendo nos docuit certam Methodum cetera alia præparandi, quæ aut hæc omnia, aut maiorem partem in ſe recipiant. Arbitrantur a-

tur a-

Error aliquorum. tur aliqui illa prima decoquenda esse in illis succis secundum artem, sed decipiuntur; prius enim immittit simplicia in succis, deinde coquit.

Electarium Indum maius Mesue.

℞. Cinnamomi,
Caryophyl.
Spicæ Nardi,
Rosarum,
Casiæ,
Macis,
Cyperi ana drach. iiij.
Santalorum Citreorum drach. ij. ß.
Ligni Aloes,
Nucis mosc. ana drach. ij.
Turpethi boni, gummosi, albi, & arundinacei drach. quinquaginta.
Sacchari,
Penidiorum ana vnc. xx.
Galangæ,
Cardamomi, vtriusque scil. maioris, & minoris,
Asari, sc. Baccharæ,
Mastiches ana sesquidrachmam.
Scammonii boni, in Malo Cydonio decocti drach. xij.
Omnia cum oleo Amygdalino fricentur,

centur, deinde accipe
Succi Cydoniorum,
Granatorum lib. ß.
Succi Apii,
Fœniculi ana lib. ß. *Ingr. xxv.*
Mellis quantitatem conuenientẽ, quæ erit quattuor ſaltem librarum. Fiat Electarium, vt eſt artis. Studet magis Meſue inalterare, quam aluum ſubducere, & ideo Scammonium in Pomo coctum imponit: nam ad copiam corrigentium minuitur purgatio. Sed hoc non eſt Seplaſiarii.

Electarium Diaphenicum à Zezar deſcriptum relatore Meſue, & ſecundum noſtram Methodum Exercitatio, quod ſit in vſu.

℞. Phenicon Cyrron .i. Dactylorum Fuluorum, tales ſunt immaturi, Aceto per triduum maceratorum drach. centum.
Penidiorum hordeatorum, eorum loco commu. dr. quinquaginta.
Amygd. purg. ſcil. dulcium, vt Auicen. drach. xxx.
Turpethi dr[illegible]h. xxxv.
Scammonii drach. xxij.

Zingibe-

Zingiberis,
Piperis longi,
Foliorum Rutæ ſiccæ,
Cinnamomi,
Macis,
Ligni A'oes,
Sem. Aniſi,
Fœniculi ana drach. ij. ß.
Sem. Dauci, Sem. Paſtinacæ ſilu. eius loco.
Galangæ ana drach. ij. ß.
Ingred. xvj.

Melle deſpumato ſufficienti excipe, ſufficiens autem quantitas, ſi pro ſingula libra Mellis vnc. tres Specierum ſumantur, trium librarum exiſtit.

Cum Melle diligenter deſpumato Penidia, cum ſint multa, liqueſcant, & ad ſpiſſitudinem idoneam bulliant, his adduntur Dactyli macerati, prius à nucleis, & à membranulis mundati, & poſtea per cribrum traiecti, ſic & Amygdalæ in mortario lapideo accurate detritæ, & per cribrum tranſmiſſæ, cum horum humiditas euanuerit, remoueantur ab igne, & addantur Species, & deniq; Turpethum, & Scammonium; vel hæc duo cum aliqua portione Specierum diligenti manu læuigentur. Scammonium non ſit in Pomo coctum,

coctum, vt multi credunt; nam hoc aduersatur sententiæ Scriptoris; cum enim desiderat paratum esse, hoc libere, & adaperte dicit, vt in Electario Indo. Præterea quis ignorat multa existere corrigentia, & castigantia illud, vt Dactyli, Amygdalæ, & Aromata, sicuti manifesto ab ipso Mesue scribitur capite de Scammonio. Dactylorum pondus sit drachmarum centum ante macerationem, vt reliquerunt scriptum Auicen. & Serap. qui prius diligenter sint mundati. *Error multorum.*

Electarium de Psyllio, & modus parandi à Mesue descriptus.

℞. Succi Buglossi domestici,
siluestris,
Intybi, scil. Endiuiæ,
Appii cocti, ac despumati an. lib. ij.
His infunde per spacium viginti quattuor horarum
Cassuthæ,
Anisi,
Folliculorum Senæ ana vnc. ß.
Adianti, scil. Capil. Vener. M. j.
Succi Fumariæ vnc. iiij.
Asari vnc. iiij.

Spicæ

Spicæ Nardi drach. ij.
Semel feruefiant, & adde
Violarum viridium, vel ſiccarum vnc. iij.
Epithymi vnc. ij.
Et ſemel quoq; feruefiant, cola, & exprime, & colato macera viginti quattuor horis, in ſingulas horas rudicula agitando:
Pſyllii vnc. iij.
Poſt exprime totam mucaginem, in cuius libris quattuor coque igni lento
Sacchari lib. ij. ß.
Scammonii in Malo Cydonio cocti vnc. iij. ß.
His omnibus coctis adde pulueris
Trochiſcorum Diarhodon. vnc. j.
Trochiſc. de Spodio,
de Rhabarb. ana vnc. j,
Berberis ſ. Oxyacanthę vn. ß.
Hæc Meſue. *Ingred. xx.*

Prius tamen remoueantur ab igne. Timet in hoc maximam agitationem humoris bilioſi, & effrænem euacuationem, qua non indiget ille, cum fluidus, & ſubtilis exiſtat; & ideo Scammonium Pomo caſtigatum imponit; etiamſi multa ſint corrigentia, vt mucago Pſyllii, & Trochiſci, & ideo ſileant, qui audent deſcriptiones Meſ. corrigere. *Electa-*

Electarium Rosatum Mesue.

℞. Succi Rosarum rubrarum perfectarum lib. iiij.
Sacchari lib. j. ß.
Mannæ puræ, & recentis vnc. j.
Scammonii Antiocheni vnc. j ß.
Coque flamma lenta ad Mellis crassitudinem, tunc adde
Trochiscorum Spodii vnc. j.
Galliæ,
Croci ana drach. ij.
Trochis Oxyacanthe sc. Berb. dr. iv.

Ingred. viij.

Repone vitreo vase. Hæc Mes. Ponunt aliqui loco Scammonii Dachrydium, non considerantes à coctura, à succo Rosarum, & à Trochiscis illis castigari; si dictis Mes. cap. de Scam. præstandæ venit aliqua fides, hoc diligentissime leuigetur, quod facile est, cum optimum existit; tale enim frangibile, vel aliqua succi Rosarum, & Sacchari portione dissoluatur, & paulatim addatur perpetuo rudicula agitando, ne in vnum & Manna, & Scammonium coeant; quæ quidem Manna simul bulliat cum succo, & Saccharo à principio, fit enim coctione melior, *Error aliquorum.*

Error aliquorum. lior, vt Mesue cap. de Manna; dicant quidquid volunt nonnulli voluntate, & non ratione ducti.

Electarium de Succo Rosarum Nicolai.

℞. Succi Rosarum,
Sacchari ana lib. j. & vnc. iiij.
Santalorum Rubeorum,
Alborum,
Citrinorum ana drach. vj.
Spodii drach. iij.
Dachrydii drach. xij.
Caphuræ scrip. j. *Ingred. viij.*

Coquantur succus, & Saccharum ad idoneam crassitiem, quibus ab igne remotis cetera addantur, Caphura aliqua Syrupi portione dissoluatur.

Electarium Mannæ à Mesue descriptum, & ab ipso attributum Galeno.

℞. Mannæ puræ, & recentis,
Succi Rosarum rub. ana lib. j.

Dissoluatur Manna, & coquatur igni lento ad crassitudinem conuenientem, tunc adde

Scammonii vnc. j
Masticlhes drach. iij. *Ingred. iiij.*

Sed

Sed in antiquo exemplari decoquit Scammonium cum Saccharo, & Manna, ferre enim cocturam Mannam, & Scammonium adapertè legitur cap. de Scammonio, maximè si cum succo Rosarum, aut earum aqua decoquatur: & ideo coquere iubet illud in Elect. Hamech, & Rosato. Emendatur Scammonium à Mastiche, succo Rosarum, & coctura: & ideo frustra Dachrydium à nonnullis probatur. *Error aliquorum.*

Electarium Hamech à Mesue descriptum.

℞. Mirobal. Citrearum vnc. iiij.
Cepularum, id est Chebul.
Nigrarum,
Rhabarb. ana vnc. ij.
Agarici,
Colocynthidis,
Polypodii ana drach. xvj.
Absinthij,
Thymi,
Senæ ana vnc. j.
Violarum drach.. xv.
Epithymi vnc. ij.
Anisi drach. vj.

Rosarum,
Fœniculi ana drach.vj.
Pruna lx.
Vuarum passarum mund.vnc.vj.
Succi Fumariæ lib.j.

Macera dies quinque Sero lactis (scilicet Caprini) sufficiente, (Quantitas accommodata erit duodecim circiter librarum) in vase vitreo, stricti oris, & obturati, semel deinde feruefiant, manibus fricentur, & colentur. Colato adde

Cassiæ fistulæ purgatæ vnc.iiij.
Tamarindorum vnc.v.
Mannæ vnc.ij.

Frica manibus, cola, percoque ad Mellis crassitiem cum Sacchari libra vna, & dimidia, & Scammonii vncia & dimidia.

Postremò adde
Mirobal. Citrearum,
Cepularum,
Indarum ana vnc.ß.
Bellericarum,
Emblicarum,
Rhabarbari,
Sem. Fumariæ ana drach.iij.
Anisi,
Spicæ Nardi ana drach.ij.
Et fiat Electarium. *Ingred.xxxiij.*

Multi,

Multi, sicuti eorum est mos, quærentes aliorum famam destruere, & potissimùm viri huius celebris, affirmāt Cassiam, Tamarindos, & Mannam non esse ebullienda cum Sacchara, sed priùs parare illud ad Mellis compagem redactum, & postea addere iam dicta; ignorant hi finem Mesue, & ideo eius mandata castigare tentant. Alij Scammonium post omnia addunt, quod aduersatur eius dictis, nec coquunt illud; cum postremò addat pulueres. Sunt denique quidam qui Scammonium in Pomo coctum imponere iubent; ad quid quæso, nisi dicamus, vt contradicant Magistro; nonne decoquit illud? nonna omnia genera Myrobalanorum medicamentum recipit? Præterea quot principes partes roborantia in se continet hoc Electarium? si timemus feri aliquam putredinem, sæpè agitetur; sed hoc prohibetur ab amaris ingredientibus, maximè si fit Oxymele Serum paratum.

Error multorum.

Error aliorum.

Error alter.

Electarium Elescoph, siue Episcopi Mes.

℞. Scammonii Antiocheni,

Turpethi albi ana drach.vj.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Nucis moſchatæ,
Myrab. Emblicarum,
Polypodii ana drach.ii.ß.
Sacchari vnc.vj. *Ingred x.*

Mellis quantitatem ſufficientem, quæ erit ſi computum faciamus cum quantitate Specierum libra vna cum aliqua portione. Multa exſtant corrigentia Scammonium, & Turpethum; & ideo fruſtra aliqui Dachrydium eius loco imponunt. *Error aliquorum.*

Electarium Diacatholicum Nicolai.

℞. Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum,
Senæ mundæ ana vnc.ij.
Rhabarbari,
Polypodii,
Violarum,
Aniſi ana vnc.j.
Glycyrrhizæ raſæ,
Pen diorum,
Sacchari Candi,

Quat-

Quattuor Sem. frigid. maiorum ana drach.ij.

Hæc omnia terantur, & cribro excutiantur, & ſume

Polypodii recentis vnc.iij.
Sem. Fœniculi drach.vj.
Aquæ communis lib.ix.
Coquantur hæc duo ad dimidii conſumptionem, & colentur, & colaturæ adde
Sacchari albi lib.ij. *Ingred. xviij.*

Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam, & ſupra dicta trita addãtur, Caſſia autem, Tamarindi, & Manna aliqua portione Decocti diſſoluantur priùs & colentur.

Alia deſcriptio efficacior, quæ magis eſt in vſu, & à nobis laudatur.

℞. Folliculorum Senæ,
Caſſiæ fiſtulæ mundæ,
Tamarindorum ana vnc.viij
Rhabarbari,
Violarum,
Polypodii,
Aniſorum ana vnc.iiij.

Glycyrrhizæ rasæ,
Penidiorum,
Sacchari Candi ana drach.iiij.
Quattuor Sem. Frigid. maiorum mundatorum ana vnc.j.

Quæ sunt terenda, terantur, & dissoluenda in aliqua quantitate decocti huius infrascripti, dissoluantur, sume,

Polypodii lib.j.
Sem. Fæniculi vnc.j.
Aquæ communis lib.xij.
Sacchari lib.viij. *Ingred.xviij.*

Bulliant illa duo ad exhalationē dimidii, deinde colentur, & cum Saccharo fiat Syrupus, cui adde iā dicta. Anisi semina in Antidotario Nicolai non reperiuntur.

Benedicta Laxatiua Nicolai.

℞. Turpethi,
Esulæ,
Sacchari ana drach.x.
Caryophylli,
Spicæ,
Zingiberis,
Croci,
Saxifragiæ,

Macropiperis,
Amomi, eius loco Calam. Arom.
Cardamomi,
Macis,
Petroſelini, vel Selini ſpermatis,
Sem. Apii,
Salis Gemmei,
Galangæ,
Sem. Carui,
Fœniculi,
Aſparagi,
Bruſci,
Milij Solis ana dr. j.
Dachrydii,
Hermodactyl.
Roſatum ana drach. v. *Ingred. xxv.*

Mellis lib. ij. & vnc. duas circiter. Aliqui autores negligentes illud, quod ſemper audaci fronte affirmant, ponũt libras tres, quamquam trita huiuſmodi quantitati Mellis non conueniant; cum non ſint vnciæ nouem, etiamſi Saccharum in illis tritis collocetur, quod eſt à ratione alienum, vt illi aliis in locis ſcribunt.

Error aliquorum.

Electarium Turpethi cum Rhabarbaro Suardi, quod Diaturbit dicunt.

℞. Turpethi albi drach. x.
Zingiberis drach. v.
Galangæ,
Piperis longi,
Cardamomi maioris,
Croci ana scrip. j.
Macis scrip. ß.
Rhabarb. optimi drach. iiij.
Dachrydii per noctem aqua Rosacea infusi dr. ß.
Sacchari vnc. xv. *Ingred. x.*

Fiat Confectio secundùm artem.

Electarium de Carthamo Nicolai Florentini, seu de Cnico.

℞. Diatragacanthi frigidi vnc. j.
Carnis Cydoniorum vnc. ij.
Zingiberis albi drach. j.
Medullæ Sem. Carthami vnc. ß.
Turpethi elect. drach. ij.
Dachrydii drach. ß.

Man-

Mannæ,
Mellis Rosati purificati ana drach.iij.
Sacchari albi vnc.xv. *Ingred..ix.*

Fa secundum artem Confectio.

Hieræ descriptio à Galeno tradita lib.2. de Comp Med.secundum locos c. 1.qua ille vtebatur, & nos probamus.

℞.Mastiches,
Asari,
Spicæ Nardi,
Cinnamomi,
X lob ilsami, in eius loco lignũ Aloes,
Croci ana drach.vj.
Aloes drach.xc.i,nonaginta. *Ingr.vij.*

Et quoniam, vt Galenus refert, multi drachmas centum Aloes iniiciebant, ille tantum nonaginta esse, & sufficere decreuit, cuius verba: *Visa est mihi nimia eius copia centũ drachmæ esse ad proportionẽ reliquorum : quapropter etiam per xc. drachmas ipsam composui, & per lxxx. quin & per pauciorem aliquando Crocum; propterea quod ex eius vsu quidam capite lædantur:*

tur: quare optimam eius esse compositionem iudicans, quæ ex Aloes drachmis xl. & quinque Croci constat, hac ego vtor. At Andromachus, sicut lib. 8. c. 2. secūdùm loca scribitur, imponebat drachmas centum, quæ quidem Aloe, vt ibi à Galeno narratur, si illota fuerit, aptior erit ad ventris subductionem.

Mastiche, Crocus, & Aloe per se comminuantur, deinde ceteris admisceantur. Si Electarium parare desiderant Pharmacopæi, cum tribus vnciis pulueris pro singula libra Mellis despumati conficiatur, vase priùs ab igne deposito trita paulatim iniiciendo, & accuratè permiscendo: & sic per longius tempus seruatur, vt 7. Meth. c. 2. legitur.

Hiera Picra Mesue adscripta Galeno.

℞. Cinnamomi,
Masticheς,
Asari, scilicet Baccharæ,
Spicæ Nardi,
Carpobalsami, Cubebæ eius locō,
Croci,
Xiloaloes, scilicet ligni Aloes,

Caſiæ ana par. æquales.
Aloes duplũ pondus omnium. *Ingr. ix.*
Quidam addunt Schenuanthum, alii Abſinthium, & alii alia. Quidam Melle excipiunt: alii cum aqua Bdellii, & Tragacanthi in Trochiſcos fingunt.

Hiera Hermetis cum Dracunculo, vel Serpentaria à Meſue deſcripta.

℞. Aloes vnc. j.
Trochiſc. Alhandal, nõ cognouit Hermes hos Trochiſcos, ſed Colocynt. tantùm Aur. viij.
Turpethi,
Agarici,
Luf vtriuſque ſicci, ſ. maioris, & minoris, id eſt Dracunculi, vel Serpentariæ à Dioſcor. Arum.
Iridis,
Sagapeni,
Myrobal. Citrearum,
Cepularum, i. Chebul.
Indarum ana ſeſquidrach.
Zingiberis,
Cinnamomi,
Maſtiches,

Bdellii,

Bdellii,
Hellebori nigri,
Euphorbii,
Asari ſ. Baccharæ,
Caſiæ ligneæ,
Salis Indi,
Caſtorei,
Croci,
Sem. Appii,
Cheiſim, ſ. Liguſtici,
Sem. Mazereõ, i. Chamelec.
Stecados ana drach. i.
Scillæ aſſatæ drach. ij. ß.
Scammonii drach. ij.
Mellis q. s. *Ingred. xxix.*

Curioſè omnia terantur, Gummi, & Succi Vino odoro diſſoluantur, pulueres ſucco Cucumeris agreſtis comprehendantur; Siccentur iterum, eodem ſucco, & pauco Nucum oleo excipiantur, & ſiccentur. Poſtremò Melle deſpumato omnia comprehendantur. Datur poſt ſex menſes. Meſ. Fruſtra me iudice imponuntur loco Colocynthidis Trochiſci Alhandal; cum tali in deſcriptione exiſtant Bdelliũ, Maſtiche, & multa alia, quæ illam caſtigant. Attamen dictis Auctoris quieſcendum.

Hiera

Hiera Diacolocynthidos à Ruffo inuenta Mesue referente.

℞. Stœcados,
Agarici,
Chamedryos ana drach. x.
Colocynthidis drach. xx.
Sagapeni,
Opoponacis ana drach. viij.
Petroselini,
Aristolochiæ rotundæ,
Piperis albi ana drach. v.
Casiæ drach. vij.
Cinnamomi,
Croci,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Polii ana dr. iiij.
Mellis q s. *Ingred. xvj.*

Myrrham Vino infunde, cetera tere, & Melle despumato excipe. Mes. Vel non tantùm Myrrha infundenda est, sed Sagapenum, & Opoponax, cum hæc inter Gummi collocentur, quæ maceranda veniunt, nisi admodum arida, vt ad mentem Scriptorum narrauimus. Vtitur Gal. sæpè Hiera cum Colocynthide, necnon etiam

etiam interdum Scammonio, & Epithymo, & nigro Veratro, vt 1. de Comp. Medic. per loc. cap. 2. legitur. Ab Aromatis Colocynthis castigatur, & à Myrrha, vt Diosc. & ideo Trochisci Alhandal reiiciendi.

Error aliquorum.

Hiera Legadij, vel Logadij ab Aetio descripta, necnon etiam ab Actuario, sed non eodem ingredientium numero.

℞. Colocynthidis drach. xx.
Scillæ assatæ,
Agarici.
Ammoniaci,
Scammonii,
Corticum radicum Hellebori nigri,
Hyperici ana drach. j.
Epithymi,
Polypodii,
Bdellii,
Aloes,
Camædryos,
Marrubii,
Casię ana drach. j.
Myrrhæ,
Piperis albi,

nigri,

nigri,
Cinnamomi,
Croci,
Opoponacis,
Sagapeni,
Castorei,
Petroselini,
Aristolochiæ ana vnc. ß.
Mellis q.s. *Ingred. xxv.*

Multa emendant Colocynth. & Scammonium. *Error aliquorum.*

Hiera Rhasis lib. 9. ad Almansorem capite 64.

℞. Rosarum rubearum,
Spicæ,
Mastiches,
Xilobalsami, eius loco ligni Aloes,
Carpobalsami, eius loco Cubebæ,
Cinnamomi,
Casiæ,
Asari, id est Baccharæ ana drach. ß.
Aloes duplum omnium. *Ingred. ix.*

Aloe per se diligenter teratur, & postea cum aliis triturando confundatur, quæ per pannum sericum subtilissimum traiiciantur. Rhas.

Hiera Pacchij à Nicolao Alexandrino descripta.

℞. Stæcados
Marrubii,
Chamædryos,
Agarici,
Colocynthi ana drach. x.
Opoponacis,
Sagapeni,
Petroselini,
Rad. Arist. rotundæ,
Piperis albi ana drach. v.
Cinnamomi,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Folii, vt Caryoph.
Croci ana drach. iiij. *Ingred. xv.*

Mellis despumati triplum. Hęc ferè est eadē cum Hiera Diacolocynthidos Ruffi. Sint Mellis libræ ij. & vnciæ circiter octo, & non tres cum dimidia, vel quattuor, vt multi dicunt paruifacientes Autoris sententiam. *Error aliquorum.*

Hiera

Hiera Nicolai, quæ vt plurimùm est in vsu pro Clysteri, quæ à nobis laudatur.

℞. Cinnamomi,
Spicæ ana script.ij.
Croci,
Schænuanthi,
Asari,
Casiæ ligneæ,
Xilobalsami, ligni Aloes eius loco,
Carpobalsami, Cubebæ, vel Amomi eius loco,
Violarum,
Absinthij,
Epithymi,
Stæcados,
Agarici,
Rosarum,
Turpethi,
Colocynthidis,
Mastiches ana script.ij.
Aloes ad pondus omnium.
Mellis quantitatem sufficientem, videlicet nouem circiter vnciarum.
Ingred.xix.

Ordo conficiendi Electaria, & Antidota Roborantia, & Alterantia, necnon etiam Opium suscipientia.

Circa structuram Antidotorum roborantium, & alterantium sex memoria custodiantur, quæ,

Mel in Antid. despumãdum. I. Mel curiosè est despumandum, vt omnibus impuris partibus priuetur, hoc agendum esse decreuit Gal. lib. 6. secundùm locos, c. 1. vbi de Medic. Andromachi sic: *Hic Melle cocto adiecit, in prioribus autem simpliciter Mel dixit permittens nobis quomodocumque parare velimus; ego autem, vt dixi, Melle despumato vtor.* Tale semper scilicet despumatũ probat Auic. in suo Antid. necnon etiam Serap. At non solùm despumato, sed etiã decocto vtuntur, sicuti lib. 1. de Antid. cap. 15. sic. *Mellis moderatè decocti, & proculdubio despumati partem*, &c. Laudat Mesue interdum in nonnullis Electariis, ac Confectionibus Mel crudum, vt in Diamoscho.

Gummi, & succi dissoluantur. II. Gummi liquescant Melle, aut Vino, sic & succi dissoluendi, (vt Opium) & Crocus quandoque, vt Serap. in Antid. & Auic. & Gal. lib. 1. de Ant. hæc: *Gummi, & Succi*

Succi Vino dissoluantur, & macerentur, sic & Myrrha, & Crocus, Melle liquescant, & læuigentur quoque Terebinthina, Styrax, & Chalbanum; sed priùs frangantur. Et Haly lib. 10. cap. 6. aut Vino, aut Melle Succos, & Gummi macerat, atque similia; quæ postea colo laxo traiiciantur, ne impura existant Auicen. suasore: vel Gummi si exsiccata terantur diligenter, sic & Succi aridi.

III. Cum hæc Melli admista fuerint calido, tum vase ab igne remoto, arida iniiciantur, vt ille eodem loco affirmat; facilè enim, & promptè hæc cum Melle confunduntur. At Gal. loco iam citato vbi de Theriaca primò admiscet Mellis portioni arida quædam, deinde illa liquefacta, postea reliquum Pulueris, & Mellis, quod supererit. Sint arida, vt Aromata, diligenter sicca, trita, & creta, vt Paul. ceterique Scriptores, immo læuigata iubente Galeno.

IIII. Istis Lapilli pretiosi priùs parati, ac accuratè diminuti addantur, sic & Margaritæ, auriq. folia, aut bracteolæ diligenter diuulsæ, & cum aliis cretis detritæ.

V. Et eodem tempore, & Moschus, & Ambra, quòd obseruauit Mesue in Electario, è granis Tinctorum, vel Alchermes;

vel hæc iniiciantur post cetera trita, vt Actuario placet lib. de Comp. Medic. quæ aut solitaria placidè læuigentur, aut cum aliqua Sacchari portione, aut diligenter tritis aliis misceãtur quod melius, vel cum aliqua Syrupi portione dissoluantur, aut Mellis, quod in Electario recipitur. Dissoluit hęc Auic. Melle, qui etiam post omnia addit Opium, aut dissolutum, aut læuigatum.

VI. Sit Mellis quantitas, qua trita excipiuntur, habita consideratione ad eorum pondus, quadrupla, si nobis tamquam exemplar proponamus Confectionem de Diamoscho à Mesue descriptam, cuius verba: *Excipe Mellis crudi quadruplo.* At in confectione Alchermes hoc non seruauit, in tali enim sunt viginti drachmæ, & vna Specierum, cum scriptulo, & Sacchari libra vna cum dimidia. Sed Haly lib. 10. semper comprehendit trita tripla Mellis quantitate. In hoc fortè vestigia sequens Damocratis, vt scribitur lib. 2. de Antid. cap. 4. sic:

Res siccas pondus Mellis ter adæquet.

At cap. 3. hæc:

Omnium pondus Mel geminet, Chiũ
Infunde Vinum, quod esse putas satis.

Hoc seruauit Auic. in Confectione sua

de

de Hyacintho. At Galenus impulsus sententia grauium omnium Scriptorum, qui Theriacam confecerunt, imperat in tota illa quantitate ingredientium imponendas esse libras decem Mellis conuenienter decocti, ac despumati, cuius verba leguntur lib. ad Pisonem cap. 14. sic: *Postea cum liquidis sicca admiscueris, Mellis quantum satis esse videatur, infundes. Satis autem videtur libra decem Mellis conuenienter decocti, sicut Autorum litteræ præcipiunt.* Vnde si computum faciamus, adinueniemus pro singula Mellis libra esse quattuor tritorum circiter vncias, quod summa cum ratione factum fuit; in hac enim Antidoto, quæ magna dicitur, ob mirabiles operationes, quas à se edit perpetuò, necesse erat magnam esse copiam ingredientium, vt citiùs & vigorosiùs in corpora ageret; non enim à Melle præcipuè procedit operatio, sed ab aliis, immo ab eius impropoportionata quantitate vires totius Pharmaci hebetantur, & ignauæ redduntur. Non est igitur ab Autoribus semper determinata quantitas aut Mellis, aut Sacchari; secundum enim eorum varios fines augetur, atque minuitur illorum copia, & ideo Rhas. lib. 9. ad Almans. in Electario de Baccis Lauri, iubet Mellis

Mellis quantitas in Theriaca.

despumati esse æquale pondus, & specierum. Attamen si nulla sit ab Autore descripta aut Sacchari, aut Mellis quantitas, pro qualibet libra Mellis, siue Sacchari dissoluti, & in compagem Mellis decocti, sumãtur vnc. tres tritorum, & interdum si admodum odorata, vncia vna cum dimidia, vt suauiores existant Confectiones.

Antidota illa, quæ Opium, aut aliud simile in sui structura admittunt, non concedãtur infirmis, nisi post annum, aut sex menses, sicuti statuit Gal. 12. Meth. c. 1. sed adapertius lib. 2. ad Glauc. c. 6. cuius verba: *Vti autem oportet Philonis medicamento, omnibusq; ex Opio confectis non statim, sed post tempus compositionis annum, aut omnino semestre.* At Medico iubente tribuantur quocumque tempore. Subscribit sententiæ Galeni, Aet. Auicen. Serap. & Mes. quod à Seplasiariis Venetis in Antidotis Magnis minimè seruatur.

Error Seplasiar.

Confectio Alchermes, seu ex Granis Tinctoriis, vel Cocco Mes. quæ sit in vsu.

℞. Serici, id est Folliculi Serici completi succo Granorum Tinct. recenter tincti lib. j.

Succi

SucciPomorũ dulcium, acredolentiũ,
Aquæ Roſaceæ ana lib.j.ß.
Sacchari optimi lib.j.ß.

Sericum vigintiquattuor horis maceretur, deinde pauliſper incoquatur, donec liquores iſti rubeant, expreſſo illo & abiecto, illos coque cum Saccharo ad Mellis craſſitudinem, iſtis ab igne depoſitis, ſed adhuc calentibus, miſce Ambræ crudæ minutim inciſæ drach.iiij.

Qua liquata, iniice puluerẽ ſequẽtem.
Ligni Aloes crudi,
Darſeni.i.Cinnamomi craſſi ana dr.vj.
Lapidis Cianei, id eſt Lazuli loti, & præparati drach.ij.
Marg.albarum drach.ij.
Auri boni foliorum drach.j.
Moſchi laudati ſcript.j. *Ingred.xj.*

Hæc interim, vt ſuperius dixi, diligentiſſimè miſceantur. Non pauci, ſicuti & nos, quoniam Alumen, dum tingitur Sericum, imponunt Infectores, macerare iubent illa grana trita ſimul cum Serico, quantitas ſit trium vnciarum, alii & ſucco Granorum, & Sacchar o parant Syrupum. vt Pharmacopæi Galli efficiunt, deinde aliquam eius portionem iniiciunt.

Sint omnia accuratè læuigata maximè Ambra,& Moſchus, vel cum aquæ Roſaceæ aliqua portiuncula, aut Syrupi ſemicocti diſſoluantur, aut Saccharo pauco læuigentur, vel aliis tritis diligenter admiſceantur. Lapis Cianeus ſit ablutus,& lotus, (Aliqui illum priùs adurunt) & Margaritæ ſint comminutæ piſtillo in cote ſæpè aqua Roſacea irroratæ. Ambra recens, & noua facilè liqueſcit, dixit crudam: quia aliqui Myropolæ odore decoquendo illam priuabant.

Electarium Xilaloes Meſ.

℞. Ligni Aloes crudi, quia à nonnullis ad odorem, & virtutem eliciendam decoquunt, quod vituperatur.
Roſarum rubearum ana drach.viij.
Caryophyllorum,
Spicæ Nardi ana drach.iiij.
Macis,
Nucis moſchatæ,
Galliæ moſchatæ,
Cubebæ,
Cardamomi vtriuſque,
Maſtiches,
Cinnamomi,

Cyperi,
Schænuanthus,
Zedoariæ,
Been albi, & rubei, Radic. vtriusque
Buglos, loco eorum,
Folij, Macis eius loco,
Serici crudi,
Margaritarum,
Corallii rubri,
Succini, id est Charabæ,
Corticum Citri, & foliorum,
Ozimi Caryoph.
Sisymbrii aquatici,
Menthæ siccæ,
Piperis longi,
Zingiberis ana drach. iiij.
Moschi scrip. j. *Ingred. xxx.*

Excipe Melle Emblicorum, & Miua aromatizata. Quomodo conficiatur Mel Myrobalanorũ in Cõ. de Syrupis legatur.

Electarium de Aromatibus Mesue. Galeno adscriptum.

℞, Ligni Aloes crudi,
Rosarum ana aur. xij.
Calami Aromat. aur. iiij.

Gal-

Galliæ Moſchatæ,
Macis,
Doronici, Angelicæ eius loco,
Piperis longi,
Nucis moſchatæ,
Mentæ ſiccæ,
Spicæ Nardi,
Caſiæ,
Maſtiches,
Cinnamomi,
Caryophyl.
Aſari, Bacchara à vulgo ana aur.iij.
Croci,
Vtriuſque Cardamo. ſ. maioris, & minoris,
Trium Santalorum, ſ. alborum, citrinorum, & rubeorum,
Rhabarbari,
Coſti, eius loco Galangæ,
Cubebarum,
Zingib.
Sem. Fœniculi,
Aniſi,
Liguſtici ana aur.ij.
Sacchari vnc.vj.
Miuæ aromat.vnc.xij.
Mellis deſpumati q.s. *Ingred.xxxj.*

Confectiones hæ, vel Electaria, vt

Diam-

Diambra,
Diacalaminthes,
Diamargaritum,
Aromaticum Caryoph.
De Gemmis,
Diamoſchum,
Dianiſi,
Et ſimilia, de quorum Speciebus Commentario proprio egimus.

Si Melle excipiantur, ſint Specierum, vel tritorum vnciæ tres pro ſingula libra Mellis conuenienter deſpumati, & moderatè decocti.

Electarium, vel Diaſatyrion è radicibus Teſticulorum Vulpis, & Eringij Meſue, & parandi modus.

℞. Secacul. i. Radicũ Eryngij eius loco, in aqua Cicerum ſecunda elixati lib. j.
Teſticulorum Vulpis. ſ. Radicum Satyrij vnc. viij.
Radicum Raphani vnc. iij.
Luſplani, ſcilicet radicis Dracontij, vel Serpentariæ vnc. ij.
Terantur, & adiectis Olei Seſamini, & Buthyri Vaccini ana vnc. iiij.
Exactè lento igne coquantur in lactis Vaccini, aut Ouini quantitate ſufficienti,
(ita

(ita vt superſit) ad iuſtam craſſitiem, tunc adde

Mellis deſpumati lib.vj.
Succi Cæpæ id eſt albæ lib.j.ß.
Perfectè coctum vbi erit, ab igne depoſitum, adde hunc puluerem,
Caudarum, & Lumborũ Scinci dr.viij.
Sem. Erucæ,
Naſturtij,
Paſtinacæ, loco Been albi, & rubei,
Napi,
Aſparagi,
Zingiberis,
Cinnamomi,
Piperis longi,
Linguæ Auis, ſeminis Fraxini loco eius ã. drach.iiij.
Cum prædictis miſce, poſtremò adde
Strobylorum, id eſt Pineorum depilatorum lib.j.ß.
Piſtaciorum depilat.vnc.x.
Cerebrorum Paſſerum vnc.ij.
Miſce omnia, & aromatiza
Moſchi boni drach.j. *Ingred.xxiij.*

Radices iam dictæ, cũ optimè decoctæ fuerint, in mortario lapideo terãtur, & per cribrum ſetaceum tranſmittantur: ſic & Pinei, & Piſtacia, & Cerebella priùs Cice-
rum

rum liquore decocta, & fiat Electarium. Breui tempore corrumpitur.

Electarium de Hyacintho.

℞. Hyacintorum drach. j. ß.
Smaragd
Saphirorum,
Granatorum,
Topatiorum Orient.
Rubinorum,
Lapidis Bezaar,
Corallii rubei, & albi ana scrip. ij.
Margarit. præp. drach. j.
Rasuræ Eboris drach. ß.
Rosarum rubearum drach. iij. ß.
Ossa de corde cerui nu. viij.
Cornu Cerui præp.
Radicum Caryophyllatæ, in eius defectu radicum Pentaphilli, aut Tormentillæ,
Corticum Citri,
Scordei Cretici,
Sem. Acetosæ,
Buglossi,
Endiuiæ,
Rutæ caprariæ,
Trium Santalorum ana drach. j.

Dictamⁿ

Dictamni albi,
Carlinæ, s. Chameleo. albi Dioscor.
Vincetoxici,
Scorzoneræ,
Boli Armeni Orient. ana dr. j. & scrip. ij.
Terræ sigillatæ drach. j. script. ij.
Croci gra. vj.
Ambræ gr. x.
Moschi gr. v.
Folia auri duri nu. xxx. *Ingred. xxxv.*
Syrupi de acredine Citri, aut Limonum lib. j.

Syrupo adhuc calido, & ab igne remoto addantur omnia subtilissimè trita, atq; creta; sed inter hæc Margaritæ, atque Lapilli pretiosi sint super cotem comminuti, ac leuigati solitarii; Moschus, & Ambra diligentissimè terantur, & ceteris misceātur, vel aliqua leui portione Syrupi dissoluantur, sic & Auri folia dilacerētur, & in dicti Syrupi aliqua parte læuigentur; hoc tempore accuratè omnia simul ligneo pistillo, aut spatha argentea misceantur.

Confectio de Hiacintho calida.

Omnibus illis iam dictis hęc addantur.
℞. Seminum Citri mund.
Ligni Aloes,

Caryophyllorum,
Cardui Sancti,
Bistortæ,
Tormentillæ,
Rad. Angelicæ tenuis ana drach. j.
Croci drach. ß.
Moschi,
Ambræ ana scrip. ij.
Cum Syr. de corticib. Citri fiat Elect.
Ingred. xij.

Arbitrantur nonnulli Medicorum primum Electarium calidum esse; cum Crocum, Moschum, & Ambram in se recipiat, sed hi re vera decipiuntur; si enim mentis acie considerant quantitatem, ac qualitatem horum in relatione aliorum, qui quantitate, ac qualitate procul omni dubio illa tria excedunt, hæc non pronũciarent; quam enim quæso, quantitatem Moschi, Croci, atque Ambræ vna drachma huius Electarij recipit? minimam reuera, quæ corrigitur, atque castigatur ab acido Citri, Santalis, Lapillis, Corallis, seminibus Endiuiæ, Oxallidis, & Buglossi. Quis enim ignorat Crocum, teste Galeno 7. Simpl. secundo ordine excalefacere? & Moschum, si Serapioni credendum autoritate variorum Scriptorum impulso, secundo gradu calefacere, vel *Error aliquorũ Medicorum.*

ad

ad ſummum tertio? quibus omnibus iam dicta aduerſantur, & potiſſimùm Citri acidum, quod, vt ſcribitur lib. 7. Simpl. tertio ordine refrigerat, atque exſiccat, & maximè cum tanta copia reſpectu illorum exiſtat. Præterea ignorant hi in omnibus Pharmacis, & præcipuè in Cardiacis, quæ terreſtria recipiunt, neceſſaria eſſe quædam, quæ exſtent tamquam vehicula deferentia illa ad partem determinatam, vt ad cor, quæ procul dubio aliquo calore, ac partium tenuitate prædita debent eſſe: quapropter ſi ab hoc mirabili Antidoto talia auferantur, eius operatio infirma euadet, atque manca; immò ferè proprio munere priuabitur.

Electarium lætificans Hamech filij Zachariæ referente Meſue.

℞. Roſarum,
Ligni Aloes ana drach. vj.
Macis,
Nucis moſch.
Galliæ moſchatæ,
Cardamomi vtriuſq;, ſcilicet maioris,

&

& minoris ana drach. ij.
Cinnamomi,
Croci ana drach. ij. ß.
Cyperi drach. v.
Caryoph.
Mastiches,
Spicæ Nardi,
Asari, .i. Baccharæ ana drach. iij.
Excipe Melle Emblicarum, & aromatiza
Moschi gr. xv.
Mel paretur, vt sequenti Electario.
Ingred. xvj.

Electarium lætificans à Rhasi descriptum lib. 9. ad Almansorem, quod est in vsu.

℞. Melissæ,
Corticum Citri,
Caryoph.
Galliæ moschatæ,
Mastiches ana drach. j.
Croci,
Cinnamomi,
Nucis Miristicæ, .i. Moschatæ,
Cardamomi,
Been albi, & rubei, .i. Radic. Bu-

rag. & Buglossi eorum loco,
Zedoariæ,
Doronici, eius loco Galangæ,
Sem. Ozimi Caryoph. .i. Basilici, & maioris,
Neheremisch, eius loco Sem. Peoniæ ana drach. j.
Moschi gr. vj. *Ingred. xviij.*

Fiat Electarium cum tripla quantitate Mellis Myrobalanorum, quæ pendebit vncias quinque cum dimidia circiter.) Mel sic paratur, vt ibi legitur.

R. Myrobal. Chebul. .i. Cepularum num. xx.
Emblic. num. xxx. Nucleis priuentur.
Aquæ lib. iij.

Terantur crassiuscule, bulliant in dicta aqua ad exhalationem duarum partium, colentur, & colaturæ adde

Mellis lib. j.

Deinde bulliant, donec aqua illa consumpta sit, & Elect. conficiatur. Hæc Rhas. cap. de Melanch.

Electa-

Electarium à Iustino Imperatore inuentum referente Nicolao.

℞. Cinnamomi,
Folii, eius loco Macis ana dr. j. ß.
Costi, eius loco Zedoariæ,
Nardi,
Casiæ,
Aristolochiæ longæ, & rotundæ,
Hyssopi,
Helenii, sc. Enulæ campanæ,
Pulegii,
Artemisiæ,
Rad. Penthaphylli,
Leucopiperis, scil. Piperis albi,
Orobi,
Petroselini,
Leuistici,
Oluxastri, aliqui Petroselini Macedonici,
Sem. Urticæ,
Granorum Solis, scil. Milii Solis,
Saxifragiæ,
Baccarum Iuniperi,
Asparagi,
Sem. Sileris,
Apii,
Anethi,
Pigani, scil. Rutæ hortensis,

Citri,
Fœniculi,
Anisi,
Baccarum Lauri ana drach. j. ß.
Mellis quantitatem conueniẽtem.
Ingred. xxxj.

Fiat Electarium, vt est artis.

Electarium de Scoria Ferri Rhasis cap. de Fistulis Ani.

℞. Myrobal. Indarum,
Bellericarum,
Emblicarum ana drach. v.
Spicæ,
Schænuanthus,
Cyperi,
Zingiberis,
Piperis,
Olibani,
Ameos, eius loco Anisi ana dr. ij.
Scoriæ infusæ in Aceto per hebdomadam vnam, & postea torrefactæ dr. xv. *Ingred. xij.*

Conficiantur omnia cum Melle Emblicarum, vt cap. de Melanch. Hæc Rhasis. Accuratissime læuigetur Scoria de qua sermonem habuimus capite de Adustione.

A multis hoc deſcribitur aut in numero, aut in pondere Simplicium mancum; & à nonnullis in his duobus excedens, quod euenit, ſi verum dicere licet, ob eorum audaciam, atque arrogantiam; cum Auroris mentem caſtigare, atque corrigere tentent, & audeant; melius me iudice eſſet inſcribere hoc Electarium inuentum eſſe ab illis, & non à Rhaſi Medico doctiſſimo, ac peritiſſimo. Aliqui Scoriam prius torrefaciunt, & poſtea Aceto macerant. *Error multorum.*

Electarium Anacardinum Meſue à Sapientibus deſumptum.

℞. Piperis nigri, & longi,
Myrobal. Cepulatum,
Indarum,
Bellericarum,
Emblicarum,
Caſtorei ana drach. ij.
Coſti, eius loco Galangæ,
Anacardi,
Melanthii, Arabice Burungi, à Recentioribus Nigella,
Sacchari boni,
Baccarum Lauri ana drach. vj.
Cyperi drach. iiij. *Ingred. xv.*

Tere Anacardos per se, & alia postquam detrita excipe Butyro Vaccino, & Melle simul coctis portione æquali. Datur post sex menses. Mes. Ridiculum re vera existit audire aliquos affirmantes Anacardos indigere prius aliqua castigatione, quæ solet fieri maceratione in Aceto; cum satis, atque perfecte à Butyro corrigantur copioso, & ideo à Mesue viro in arte parandi Medicamina peritissimo, illud prætermissum fuit, vtente eius loco Butyro. At instant facilius ab eius copia totam Confectionem corrumpi, facilis est responsio, si dicamus, vt conueniens est, paucam eius quantitatem parandam esse, ne tractu temporis putredine contaminetur, quæ, si occasio expostulabit, iterum conficienda erit.

Error multorum.

Dialacca Magna Mesue.

℞. Laccæ lotæ scil. Gummi, quo vtuntur Infectores,
Rauedseni, scil. Rhabarb. an. dr. ij.
Spicæ Nardi,
Mastiches,
Schænuanthus,
Costi, eius loco Zedoariæ, aut Angelicæ,

Myrrhæ

Myrrhæ,
Croci,
Cinnamomi,
Bdellii,
Sem. Apii,
Anisi,
Ameos,
Fœniculi,
Succi Eupatorii, id est, Agerati,
Sabinæ,
Asari, id est, Baccharæ,
Aristolochiæ,
Gentianæ,
Hyssopi siccæ,
Amygdalarum amar.
Rubiæ ana drach. j. ß.
Piperis,
Zingiberis ana dr. j. *Ingred. xxvj.*
Mellis quantitatem idoneam, quæ erit vnius libræ, & octo circiter vnciarum.

Terantur omnia, vt est artis, Myrrha, & Bdellium Vino macerentur; postea Melli admisceantur, & Lacca abluatur decocto Spicæ Nardi, & Cinnamomi. Mes.

Diacurcuma Mesue.

℞. Croci,
Asari,

Sem. Petroſelini,
Dauci ſcil. Paſtinacæ Silueſt.
Aniſi,
Apii ana vnc. ß.
Rhabarb.
Mei, vel Anethi ſilueſt.
Spicæ Nardi ana drach. vj.
Coſti, eius def. Pyrethri,
Myrrhæ,
Caſiæ,
Schænuanthus,
Carpobalſami, eius loco Baccarum Iuniperi,
Rubiæ,
Succi Abſinthii,
Eupatorii, ſcil. Agerati,
Olei Balſami, eius loco Olei Nucis Moſchatæ ana drach. ij.
Calami aromatici,
Cinnamomi ana drach. j. ß.
Scordei,
Scolopendrii, à vulgo Citrach,
Succi Glycyrrhizæ ana drach. ij. ß.
Tragacanthi drach. j. *Ingr. xxv.*
Melle deſpumato excipiátur quadruplo

Electarium de Baccis Lauri Rhaſis li-br. 9. ad Almanſ. cap. de Colica paſsione.

℞. Foliorum Rutæ ſiccorum dr. x.

Ameos

Ameos, eius loco Anisi,
Cymini,
Nigellæ,
Keisin, scilicet Ligustici,
Origani,
Carui,
Amygdalarum amar.
Melanopiperis, id est, nigri,
Macropiperis, id est, longi,
Menthastri,
Dauci, eius loco Siler. montani,
Acori, Calami offic. eius loco,
Baccarum Lauri,
Castorei ana drach. ij.
Serapini drach. iiij.
Opoponacis drach. iij.
Mellis ad pondus omnium; *Ingred. xviij.*

Gummi, vel Lachrymæ, vt Serapinum, & Opoponax Melle, aut Vino odoro liquescant. Frustra quærit Rhasis Elect. hoc esse efficax, cum Mel tantum ad pondus omnium instituit esse; quoniam alii excipere decernunt arida tribus fere Mellis libris, quod quidem ridiculum à me censetur. *Error multorum.*

Diasul-

Diasulphur Mesue.

℞. Piperis albi, & longi ana drach. vj.
Sulphuris flaui, ignem sc. non experti.
Thuris,
Mei, eius loco Imperatoriæ,
Hyoscyami albi,
Myrrhæ,
Styracis,
Cardamomi ana drach. viij.
Rutæ,
Costi, Zedoariæ eius loco,
Casiæ ana drach. v.
Opii,
Mandragoræ ana drach. iij.
Croci drach. ij. ß.
Melle despumato excipe. *Ing. xvj.*

Diaspoliticum à Galeno descriptum lib. 4. de Sanitate tuenda cap. 5.

℞. Cumini,
Piperis,
Rutæ,
Nitri ana partes æquales.
Mellis quantitatem sufficientem.
Ingred. v.

Cumi-

Cuminum ſit Æthiopicum Aceto acri maceratum, Piper vel longum, vel album, Rutæ folia modice ſicca, ſit Mel curioſe deſpumatum. Id enim maxime flatum diſcutit. Hæc Gal.

Antidotus Philonis à Galeno deſcripta lib. 9. de Comp. Med. ſecundum locos, cap. 4. quam Philonium Romanum Recentiores dicunt.

℞. Croci drach. v.
Pyrethri,
Euphorbii,
Spicæ Nardi ana drach. j.
Piperis albi,
Sem. Hyoſcyami, ſcilicet albi ana drach. xx.
Opii drach. x.
Mellis Attici quantitatem ſufficientem, vt ſunt decem circiter vncię.

Ingred. viij

Meſ. loco Euphorbii impoſuit Caſtoreum, & determinauit Mellis quantitatem ſic: *Mellis deſpumati quadruplo excipe*, cui addunt aliqui, vt ipſe Meſue Moſchi ſcriptulum vnum: Nec mirum, quidam e-

dam enim referente Gal. eodem loco, *apponebant Florem Iunci odorati, Casiam, Cinnamomum, Amomum, & Costum; & alii Myrrham, & Castoreium admiscuerunt. Maxime probatur Philonis medicamentum sicuti & cetera huiusmodi medicamina, si post annum à compositione sumatur, quod quidem etiamsi duorum, triumve, aut quattuor annorum sit, multo sane est melius, sed nec inutile ad decimum. At si maxima necessitas vrgeat etiam ante annum eo vti possumus*, vt 2. de locis affect. legitur.

Philonium Persicum Mes. cap. de Sanguinis fluxu ab ore descriptum.

℞. Piperis albi,
Sem. Hyoscyami albi ana drac. xx.
Opii,
Terræ sigillatæ ana drach. x.
Sendenegi scil. Lapidis Hematitis,
Croci ana drach. v.
Castorei,
Spicæ,
Euphorbii,
Pyrethri,
Margaritar. non̄ perfor.

Charabæ

Charabæ,
Zedoariæ,
Doronici, eius loco Caryoph.
Trochisc. Ramich ana drach. j.
Caphuræ scrip. j. *Ingred. xvij.*
Mellis Rosacei colati quantitatem idoneam.

Fiat Electarium, vt est artis. Loco Piperis albi in quibusdam exemplaribus leguntur Papaueris albi xx. drach. quod à nobis reprobatur; Piper enim habet vim multa frigida corrigendi; & ea distribuendi; & præterea in Philon. à Galeno descripto inuenitur & Piperis quantitas eadem, etiamsi hoc in multis aliis ab illo valde distet.

Requies Nicolai, quæ Magna dicitur.

℞. Rosarum,
Violarum ana drach. iij.
Opii,
Sem. Hyoscyami, scil. albi,
Papaueris albi, & nigri,
Corticum Mandragoræ,
Sem. Scariolæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Psylii,

Nucis

Nucis Moschatæ,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Sacchari ana drach. j. ß.
Santalorum Alborum,
Citrinorum,
Rubrorum,
Spodii,
Tragacanthi ana scrip. ij. & gr. v.
Mellis despumati q. s. *Ingred. xxj.*
Fiat Electarium secundum artem.

Athanasia Magna Mes. id est, Medicamentum immortale, quoniam à morte vindicat ægrotantes.

℞. Hepatis Lupi,
Eupatorii, scil. Agerati ana dr. ij.
Croci,
Myrrhæ,
Castorei,
Costi, Zedoariæ eius loco,
Cordumeni, .i. Cardamomi,
Spicæ Nardi,
Opii,
Sem. Papaueris nigri,
Hyoscyami, scil. albi,
Cornu dextri Capræ, vel Cerui v-
sti, &

sti, & loti, vel limati ana dr. ij.
Mellis despumati q. s. *Ingred. xiij.*

Terenda terantur, & alia in Vino liquefiant, vt Myrrha & Opium, post sex menses vtere. Hæc Mes.

Theriaca Antidotus Diatessaron id est, ex quattuor rebus. Mes.

℞. Gentianæ,
Baccarum Lauri,
Myrrhæ,
Aristolochiæ rotundæ an. vnc. j.
Ingred. v.

Omnia trita curiose Melle despumato excipiantur. Mesue.

THE-

THERIACÆ ANDROMACHI SENIORIS

LEGITIMA DESCRIPTIO ex li. 1. de Antid. c. 4. desumpta.

Veraq; ex Galeni ſententia eodem lib. cap. 15. ipſam conficiendi Methodus,

Nonnullis tamen ab Excellentiſs. Collegio dilucidatis.

Prima Claſſis. 30

℞. Paſtillorum Scilliticorum vnc. triginta.

II.

Orbiculorum ex Viperis,
Piperis longi,
Opii Thebaici, 15.
Magmatis Hedycroi ana vnc. quindecim.

III.

Irydis Illyricæ,
Roſarum rubrarum ſiccarum,
Succi Glycyrrhizæ denſati,

Sem.

Sem. Napi ſylueſtris,
Scordii Cretici,
Opobalſami, eius loco Olei Nucis Myriſticæ,
Cinnamomi, 7 $\frac{1}{2}$
Agarici albiſſimi ana vnc. ſeptem, & ſemis.

IV.

Myrrhæ electæ,
Coſti odorati,
Croci ſynceri,
Caſiæ ligneæ, ſcil. Officin.
Nardi Indicæ,
Schænuanthus,
Piperis nigri,
Thuris Aglaie, id eſt, nitidi,
Dictamni Cretici,
Rhapontici electi,
Summitatum Stæcados,
Marrubii Cretici,
Petroſelini Macedonici,
Calaminthes montanæ Cret.
Terebinthinæ Cypriæ,
Zingiberis optimi, 3 $\frac{3}{4}$
Rad. Pentaphylli ana vnc. tres, & ſicilicos tres.

V.

Polii Montani,

Camepithyos Cretici,
Amomi racemosi,
Nardi Celticæ,
Styracis Calamitæ,
Mei Athamantici,
Chamædryos Cretici,
Phu Pontici,
Terræ Lemniæ,
Folii, eius loco Macis,
Chalcitidis tostæ,
Radicum Gentianæ,
Gummi vermicularis,
Succi Hypocistidis,
Carpobalsami, eius loco Baccarum Iuniperi,
Sem. Anisi,
Seseleos Massiliensium,
Cardamomi minoris Officin.
Sem. Fœniculi,
Succi Acaciæ,
Sem. Thlaspeos Cretici,
Summitatum Hyperici,
Ameos Cretici,
Lacrymarum Sagapeni ana vnc. duas, & semis.

VI.

Castorei Pontici,
Aristolochiæ longæ,

Bituminis Iudaici,
Sem Dauci Cretici,
Opoponacis,
Sum̃itatum Cẽtaurii minoris 1 $\frac{1}{4}$
Lacrymarum Chalbani ana vnc. vnam & ſicilicum.

Mellis opt. moderate cocti, & prorſus deſpumati libras ponderales 50 quinquaginta.

Vini Cretici, quantum Aſtantibus ſatis eſſe videbitur. *Ingred. lxiij.*

Et hæ ſunt quinque ex Andromachi Doſibus.

Arida contundantur, & læuigentur, tenuique incerniculo traiiciantur, vt eſt artis, de qua cap. de Trituratione abunde.

Succi Sagapeni, Panacis, Opii, Acaciæ, ſi liquidior videatur, Hypociſtidis, & Glycyrrhizæ Vino perfundantur, vt ad læuigationem fiant idonei.

Semina Thlaſpeos, & Napi priuatim in mortario læuigentur; deinde vinum eis ſuperinfundatur, & perfecte diſſoluantur: miſceantur inde iis, quæ in Vino ſeorſum commaduerint, detritaq; fuerint.

Myrrha, Gummi & Crocus, niſi ſiccus ſit, Vino macerentur, ac læuigentur.

Thus per se solum in mortario leuiter comminuatur, & ceteris Vino maceratis inspergatur.

Quo tempore autem cuncta vniri debent, cum Mellis crudi portiuncula in duplici vase liquescant primò sane Resina, mox Styrax, & Chalbanum prius confracta, contusaque pistillo ferreo, Mellis nonnihil Resinæ liquefactæ admiscendo, donec dissoluantur, vase cooperto rursus liquari permittens.

Dum hæc liquefiunt, immittantur arida ex Vino læuigatis, misceanturque, donec abunde crassescant, atque ita paulò post liquefacta illa tepida affundantur, robustusque aliquis homo tunc ipsa commisceat: postquam probe coierint, & iam crassum, quod ex iis emergit, apparet, superiniicere Mel moderate coctum, & despumatum etiam oportet: mox contritorum partẽ, deinde rursus Mel, postea iam liquefacta miscere tepida, & sine aliqua intermissione omnia commiscere adiectis ex aridis, quæ supersunt, itemq; Melle.

Quæ cum Tudeculæ ductu vnita fuerint, transferantur in vas conuenientis

capacita-

capacitatis, misceanturque contundendo pistillo buxeo saltem per dimidium horæ. Vas autem in se contineat ad summum Doses quinque Andromachi, vt commode exagitari queant.

Oleo Nucis Myristicæ illiniantur pistilli, si tenacitas, & lentor medicaminis id requirat, sin minus, liquatum toti Antidoto immisceatur, hoc autem Assistentium munus erit.

Composita Theriaca, atque vnita secundum quattuor, aut quinque dies sub Sole contundendo misceatur; atque id ex interuallo iterum, atque iterum dierum sex, aut septem vsque ad duos menses, vel saltem ad quadraginta dies facere oportet per curriculum vnius horæ; quod tamen pro Astantium arbitrio variari poterit secundum intensionem, aut remissionem caloris Solaris.

Vini quantitas tanta sit, quanta sufficiens Assistentibus esse videbitur pro perfecta iam dictorum dissolutione, & maceratione, quod minime, vt vsus obtinuerat, igne absumendum erit. Insuper ea Vini portio, qua quidem vti est opus ad vasa mundanda illa, in quib. iam dissoluta, macerata, & liquefacta fuerint prædicta: vt quidquid illis adhæserit, eius o-

pe detergatur, quantulacumque erit, toti compositioni iniiciatur.

Modus scribitur c. de Adustione ad eius mẽtem.

Chalcitis eo modo fundatur, & paretur, quem Galenus instituit, ita vt ex quadraginta drachmis quattuor solum seligantur; vt portio illa, quæ leuissima existit, & spumosa pro hac Antidoto tantum vsurpetur, quæ sic parata triturandis admisceatur, hoc autem agendum Medicis etiam nostris deputatis præsentibus.

Vasa ærea, in quibus confunduntur, & in vnum coguntur ingredientia Theriacam, & Mithridatium, sint purissimo, quoad fieri potest, stanno obducta; ne metalli talis praua qualitas contaminet dictas Antidotos.

Hæc omnia cum necessaria sint ad Theriacæ compositionem, atque structuram, à Pharmacopœis perpetuo, & inuiolabiliter seruanda veniunt: vt facultas tam nobilis Antidoti præstantior, & excellentior in apertum prosiliat: Cuius vsus ante sex Menses à die vltimæ permistionis non permittatur. Hæc Collegium.

Marinellus.

Nonnulli impulsi Epitheto illo Aglaia, aut nitore Thuris, pro firmo statuunt, forte vt demonstrent nobilitatem, & aciem proprii ingenii, Piper album compositioni addendum esse, cui sententiæ aduersatur

uersatur, omnino Galenus, linguæ Græcæ peritissimus, & ratione, & illius Epitheti significatione, cuius verba in translatione Andernachi sunt: *Iam vero cum Andromachus scribit, Thus miscebis, & Aglaiam, quod est pulchrum statues, Aglaiam non disquirendum est ceu alterius medicamenti nomen; nam in compositione Antidoti pedestri oratione ab Andromacho Iuniore scripta, & ea traditione, quæ hucusque ad nos peruenit, neque medicamenti alicuius nomen Aglaia est: & medicamentum præterquam in pondere quarundam medicinarum, omnino concordi sententia & Senior, & Iunior Andromachus descripsit, ac nihi extra illa additur, de quo Aglaiæ nomen dici quis putauerit; quamobrem forte Aglaia Epithetum Thuris Autori Elegorum adiectum esse videtur.* Possuntne dilucidiora desiderari? & in translatione Martiani Rotæ tandem hæc: *Quare Thure, & Pipere excepto, cum nihil supersit, de quo quis Nitoris appellationem dictam putet, censendum est Andromachum versus conscribentem in Nitoris vocabulum Thuri Epithetum fecisse.*

MITHRIDATII DAMOCRATIS

Ex Galeno lib. 2. de Antidotis legitima Descriptio.

Prima Classis.

℞. Myrrhæ Arabicæ Troglodyticæ,
Croci,
Agarici,
Zingiberis,
Cinnamomi,
Spicæ Nardi odoratæ,
Granorum Olibani, 8 $\frac{3}{4}$
Sem. Thlaspi ana vnc. octo, & sicilicos tres.

II.

Seseleos Massiliensium,
Succi Balsami, eius loco Olei Nucis Myristicæ,
Junci odorati,
Stæcados Arabicæ,
Costi odorati,
Lacrymarum Chalbani sinceri,
Terebinthinæ Cypriæ,
Piperis longi,

Castorii

Caſtorii optimi,
Succi Hypocyſtidis,
Styracis Calamitæ,
Opoponacis, 7
Folii Malabat. recent. eius loco Macis autem vn. ſeptem.

III.

Caſſiæ nigræ, ſcilicet Officinarum,
Polii Montani,
Piperis albi,
Scordii Cretici,
Sem. Dauci Cretici,
Fruct. Balſami, eius defectu Baccarum Juniperi,
Cypheos, 6 $\frac{1}{8}$
Bdellii optimi an. vnc. ſex, & ſemiſicilicum.

IV.

Nardi Celticæ,
Gummi ſplendidi,
Sem. Petroſelini Macedonici,
Opii,
Cardamomi, eius loco Cardamomi Officinarum,
Sem. Fœniculi Cretici,
Radicum Gentianæ,
Roſarum Rubear. 4 $\frac{3}{8}$
Dictamni Cret. an. vnc. quattuor, ſicilicum, & ſemis.

Sem.

V.

Sem. Dauci,
Rad. Aſari,
Acori veri,
Rad. Valerianæ, 2 $\frac{1}{2}$ $\frac{5}{8}$
Sagapeni ſinceri autem vnc. duas, & ſemis, & ſemiſic.

VI.

Mei Athamantici,
Succi Spinæ nigræ ſcilicet Acaciæ,
Scincorum Nili, 2 $\frac{3}{16}$
Sem. Hyperici autem vnc. duas, & ſicilici quartas tres.
Mellis opt. moderate cocti & prorſus deſpumati 46 8 libras quadraginta ſex, & vnc. octo.
Vini Cretici optimi, quantum Aſtantibus ſatis eſſe videbitur.

Ingred. xlix.

Et hæ ſunt ſeptem ex Damocritis Doſibus.

Paretur eadem Methodo, & ordine, quo Theriaca, cuius vſus ante duos menſes à die vltimæ commiſtionis non permittatur, vt decretum fuit ab Excellentiſſimo Collegio.

DE RO-

DE ROTULAS, VEL TABELLAS

CONFICIENDI RATIONE, & præterea Conseruas,

COMMENTARIUM VI.



OTULAS, vel Tabellas, vel, vt aliquibus placet, Trageas, vocant omnes, Confectiones illas, quæ ex purissimo Saccharo, atque trituratis, sicuti Speciebus componuntur; etiamsi idem nomen quoque teneant, si Succis, Decoctis, Aquis, Infusis, & Olei nonnullis guttulis, & Saccharo parentur, dummodo, vt dicitur, ad formam talem solidam perueniant. Sit pro qualibet libra Sacchari puri, & albi Specierum vncia vna, dissoluatur prius illud aquæ tribus vnciis, vel ad summum quattuor, & decoquatur ad aquæ exhalationem semper despumando, postea remoueatur ab igne, & Species spata agitando addantur. Vt

℞. Sac-

℞. Sacchari albi lib. j.
Specierum Diambræ vnc. j.
Aquæ Rosaceæ, vel è floribus Citri vnc. iij. vel ad summum iiij.
Ingred. iij.

Saccharum optimum, ac electum cum aqua Rosata igni liquescat, & decoquatur ad perfectam aquæ consumptionem, despumando semper, si occasio postulabit; deinde remoueatur ab igne, & Species iniiciantur diligentissime miscendo, & fiant Rotulæ.

In hoc exemplo habemus quantitatem aquæ, qua liquefacere debent Seplasiarii Sacchari libram, quæ est trium vnciarum, vel ad summum quattuor, quantitatem Specierum, quæ est vnius vnciæ pro singula Sacchari libra. At pauci exstant, qui hanc Specierum copiam imponant; plurimi enim ne dicam omnes, drachmas sex Specierum pro singula libra Sacchari iam liquati iniiciunt; immo, si veritatẽ proferre licet, solum duas drachmas Specierum illarum, quæ Moschum, & Ambram, & Gemmas recipiunt. Dicto iam modo Tabellæ cuiuscumque generis conficiuntur, imponendo vnciam vnam Specierum, vel saltem sex drachmas pro quacum-

Error & auaritia aliquorum.

quacumque Sacchari albi, & electi libra diligenter decocti, ne illæ temporis tractu humescant, & insuaues reddantur, quod sæpe, atque sæpe accidere videmus ob Seplasiarum sordidam auaritiam, qui ex Saccharo impuro, & incocto has parant.

Non raro fiunt Rotulæ ex Succis, vel Infusis, vel Decoctis, in quibus tanta sit quantitas succorum, quanta Sacchari. vt

℞. Succi Absinthii Pontici depurati lib. j.

Sacchari elect. lib. 1. *Ingred. ij.*

Depuratus Succus, & Saccharum liquescant, & coquantur, spumam auferendo ad exhalationem succi, & fiant Rotulę. At si Medici vigorosiorem hanc solidam Confectionem cupiant, sit succi libra vna cum dimidia, si imbecilliorem, sufficit libræ dimidium.

Sic parantur ex Infuso, exempli gratia, Oxalidis, cuius folia virentia in eadem aqua septies immutentur primis reiectis semper, & Sacchari æquali quantitate, quas si optas colore viridi esse, infusum ebullitione non depuretur & celeri igne cum Saccharo decoquatur. At si Infusa sint purganti natura insignita, sufficiens

erit

erit drachma vnius pro qualibet Sacchari vncia, vt Rhabarbari, vel Agarici, sed hæc ad Medicos attinent. Interdum enim & solum grana decem Infusi sufficiunt, vt Hellebori, etiamsi non pauci ad drachmam dimidiam ascendant: sed hoc ad Seplasiarios non pertinet.

Si ex Oleis, & Saccharo componuntur, vt ex oleo Corticum Citri, Anisi, Fœniculi, Caryophyllorum, vel Cinnamomi, sic conficiuntur.

℞. Sacchari albi, ac optimi vnc. iij.
Olei è Corticibus Citri dr. j. *Ing. iij.*

Saccharum cum aliquo liquore, vt Cinnamomi, vel Caryophyl. aqua dissoluatur, aut aqua simplici, decoquatur ad aquæ consumptionem, dum adhuc feruet, guttulæ illæ olei iniiciantur, & ab igne subito remoueatur, accurate permiscendo, & formentur Tabellæ.

Rotulæ Imperiales à vulgo dictæ.

℞. Cinnamomi,
Caryophyl.
Nucis Moschatæ,
Piperis albi,
Zingiberis,
Anisorum,

Cubebæ

Cubebarum ana drach. j. script. ß.
Sacchari optimi lib. j. *Ingred. ix.*

Incidantur crassiuscule, Saccharum Decocto corticum Citri, & Macis, aut Coriandrorum dissoluatur, & fiant Trageæ, vt est artis.

Rotulæ è Speciebus Galangæ,
Aromatici,
Diarhodonis,
Trium Santalorum,
Diamoschi,
& similium.

Conficiantur, vt illæ ex speciebus Diambræ, & harum omnium descriptiones legantur Commentario de Speciebus.

De Conseruis.

Appellant Pharmacopœi, atque Medici Conseruas Pharmaca illa quæ ex Saccharo & floribus, aut foliis optime in mortario lapideo contusis conficiantur. Imperat Mesue pro qualibet Sacchari libr. ponendas esse quatuor florum vncias: cuius verba leguntur in descriptione Sacchari Rosati, quod omnium aliorum est exemplar, cuius descriptio est hæc.

Saccha-

Saccharum Rosatum Mesue.

℞. Folior. Rosarum albarum, vel rubearum nondum perfectarum, in vmbra exsiccatarum, donec earum humiditas excrementitia resoluatur vnc. iiij.
Sacchari albi libr. j. *Ingred. ij.*

Terantur Rosæ in vase lapideo, Saccharum addatur, reponantur in vase vitreo, aut vitrato pergamena operculato, mensibus tribus insolentur, in die sæpe agitentur, Soli auferantur, & seruentur. Hæc Mesue, qui supponit esse folia exungulata.

Aliud, quod est magis in vsu.

℞. Foliorum Rosarum rubrarum, quoquomodo vmbra exsiccatorum, & alba illa portiuncula priuatorum lib. j.
Sacchari albi lib. iij. *Ingred. iij.*

Saccharum aquæ lib. j. dissoluatur, & coquatur perfectissime ad totius aquæ consumptionem, interim frequenti manu Rosæ in mortario lapideo terantur, & illi addantur diligenter miscendo,

& cum absumpta est superflua humiditas, ab igne remoueantur, & vasis vitreis reponantur, antequam frigescat Confectio; quæ, si occasio postulabit, Soli exponatur.

Saccharum Violatum.

Fit, vt Rosatum, sed Violæ paulò diutiùs in vmbra siccandæ, & cum Saccharo insolandæ.

Eodem modo paratur Saccharum, aut Conserua è Floribus, aut detritis, aut integris.
Boraginis,
Buglossæ,
Nenupharis,
Cicorij,
Betonicæ,
Fumariæ,
Rorismarini,
Saluiæ,
Caryophyl. nostrorum,
Sambuci,
Euphragiæ,
Rutæ Caprariæ,
Leucoij lutei, & similium.

Aliqui ex tenellis foliis, vel summitatibus herbarum Saccharum parant.

Vt

Oxalidis,
Cicorij,
Absinthij Pontici,
Capil. Veneris, & similium.

TRO-



TROCHISCORVM PARANDORVM METHODVS

COMMENTARIVM VII.

Trochisci à quibus nomen sumant, quomodo conficiantur, seruentur, ac reponantur.



QVEMADMODVM *Emplastra à colore, & nō à facultate nominăt quidā Medici Melina, Candida, Fusca, & Gilua: ita Pastillos Græcè Trochiscos ab efformationis figura vocant.* Hæc scribuntur 5. de Comp. Med. per genera, cap. 2. Variis autem nominibus decorauit illos Antiquitas; nam Damocrates, referente Gal. lib. 2. de Antid. circa fin [illegible] Rotas, & Orbes nuncupauit, quos [illegible] m & Rotulas Heraclides Tarent [illegible] it. Sed nihil nostra refert, vt 1. de A[illegible] c. 9. *Si Pastillos*

Rotulas, aut Orbes appelles. Quorum descriptionem ante oculos nobis posuit Actuar. lib. de Comp. Med. sic: *Pastilli appellantur illa, quæ in plana fingentes, in circuli formam cogimus. Hi enim Cyglisci à figura apud Græcos nomen sortiti sunt.*

Ratio illos parandi hæc erit: Terantur omnia simplicia ordinatim in farinam, quę ad compositionem apta sunt, & conuenienti humore subigantur, vt Actuar. At si in eorum descriptione inueniantur aut Gummi, aut Lacrymæ, aut Tragacanthum, aut Cydoniorum semina, vel Psyllij, aut alia in se Lentorem, aut Mucaginem continentia, macerentur talia aqua alioue liquore calido tamen, & trita Mucagine excipiantur, præceptum est Heraclidis, vt scribitur lib. 2. de Antid. etiam si multi illa potiùs terant, & non macerent. Ad efformandos Trochiscos cum Mucagine requiruntur eius drachmæ circiter quinque pro singula tritorum vncia.

Vt c. de Speciebus dixi.

Modum omnia vniendi reliquit scriptum Haly lib. 10. sic: *Cum Trochiscos formare volueris, omnia* (scilicet iam trita, & creta) *in mortario impone, cui adde Aquam, aut Vinum, aut alterius rei liquorem* (*vel Mucaginem*) *& tere, & misce, donec opus compleatur, & optimè fuerint in Vi-*

num

num vnita. Effor mentur vt plurimùm tenues imperante Galeno 1. de Antid. cap. 9. citiùs enim humiditate priuantur; deinde in vmbra exsiccentur, vt omnibus placet, & præcipuè Critoni referente Galeno lib. iam citato. Sic etiam Andromachus imperauit, vbi de Theriaca dicens:

Ac minimos tandem contusa premantur in Orbes,
Quos procul à Radijs mitior vmbra tegat.

Quapropter Galenus lib. ad Pisonem cap. 13. iubet Pastillos Hedychroi, Scillinos, & Viperinos vmbra exsiccandos esse; & hos modum exsiccandi narrauit 1. de Antid. cap. 8. vbi de Trochiscis de Vipera his verbis: *Sit cella, in qua Pastillos arefacies in superiori domus parte ad meridiem conuersa, vel saltem ad Septemtrionem non respiciat, vt Solis radios tota die penè accipiat. Statim à cõpositione ibi collocentur, frequenter autem conuertere ipsos opus erit, vt æqualiter vtraque ex parte siccescant, quod si facere quis omiserit, superior pars celeriter arescet, inferior aut humida permanebit, & periculum erit, ne marcescant: cum exsiccati fuerint, maneant adhuc aliquot diebus, & sæpè conuertantur; deinde vasis vitreis, aut argenteis, aut aureis, aut stanneis recondan-*

tur. Subinde puluisculus quidam, qui ipsis inasci consueuit, mundis mantilibus interdum abstergatur; is enim si diutiùs inhæreat, pastillos perforabit, unde inutiles redduntur. Hæc omnia ille.

Error aliquorum. Admirentur Seplasiarii negligentes sedulam diligentiam Galeni, & ipsam memoria custodiant. Hæc in omni genere Trochiscorum seruanda veniunt, dummodo sententiæ illorum, qui Trochiscos composuerunt, non aduersentur. Vt plurimùm post sex menses inutiles fiunt, vt Serap.

De Trochiscis Viperinis à Galeno descriptis lib.1.de Antidotis, cap.8. & circa parandi modum illos Exercitatio.

℞. Carnis Viperarum diligenter decoctæ, & spinis priuatæ lib.j.
Panis ex purissima farina confecti, bene fermentati, cocti, & per aliquot dies sicco loco exsiccati vnc.iij. *Ing.ij.*

Viperarum corpus, postquàm id, quod vtrinque amputabimus, quattuor digitorum mensuram non excedent, intestinis exemptis, pelleq. detracta, & pinguedine,

dine, vt ad Pisonem, aquis primò abluendum, atque in vas fictile coniiciendum: deinde aqua pura superinfusa, & Anetho, quod tunc viget, ollæ prunas, vt coquatur, subiiciemus, vel arida ligna, quæ fumum non emittant, vel, quod melius adhuc est, Vitium sarmenta. Salis autem, si suo tempore Viperas ceperis, tantillum immittere oportet: sin Aestate iam incipiente nihil; quas, cum coctæ fuerint ita, vt si quis ipsas comedere vellet, ab iure primùm eximemus, deinde illarum carnes ita à spinis auellemus, vt spinam aliquam non accipiamus, auulsas carnes exquisitè conteremus, & panis modicum admiscebimus benè cocti, ne quid acoris immineat medicamento. Sit panis prius tritus, & siccatus, & non quemadmodum ante nos, qui Cæsari Theriacam faciebât, Viperarum iure maceratus; citiùs enim siccescunt, qui siccum panem, non madidum acceperint; cum Viperas, & panem coniunxeris, diligenterque adeo subegeris, vt nulla Viperinæ carnis particula non contusa remanserit, pastillos ex illa massa conficito. Hæc omnia Gal. 1. de Antid. c. 8. At lib. ad Pisonem, cap. 13. aliquid iuris infundere iubet, quod fortè iniiciendum erit, si difficulter pa-

nis tritus, & caro illa in vnum cogantur; & ideo hæc pronunciauit: *Postremò iuris quantum sufficiat infunde.* Vnde intelligere debemus infundendum esse aliquid iuris, si necessitas expostulabit, quod sufficiat ad illa accommodatè ad se vnienda: sed melius est cum ipso dicere lib. 1. de Antid. experientia compertum esse, inijcere panem siccum, & sine iure illos parare; quæ cum vnita fuerint, vt ibi legitur, Pastilli conuenientes conficiantur, quos dum facis, manus pauco intinges Opobalsamo, (cuius loco vtendum oleo Nucis Myristicæ) qui tamen sint tenues, vt citiùs siccescant, vt eod. lib. scribitur.

De Viperarum delectu

Quas Viperas seligere debemus, & quo tempore, nos diligenter docet ille lib. citato de Antid. cap. 13. & ad Pison. sic: Sit Vipera fulua parumper, & ad motum valdè prona, quæ collum præcipuè attollat, & oculos aliquãtulum rubros habeat, atque audacter, & toruè conspiciat; sit præterea capite lato, ventre propenso, ac toto corpore sinuosa: meatus excrementis destinatus magis ad extremam caudam vergat, quam non conuolutam, sed modicè flexam potiùs esse conuenit, gressu denique incedat quieto: nam hac in re solùm à femina mas discrepat, dentibus cani-

caninis, quorum plures feminis, duos maribus. Nicander his versibus ascribit:

Sunt gemini dentes maribus sua signa, canini
Fundentes virus, habet hos; sed femina plures.

Capiantur circa Veris initia, quando non ampliùs in subterraneis cauernis degunt, sed inde progressæ sub aere diuersantur, nec vlteriùs tam noxium venenum habent; nam donec in subterraneis locis habitant; cum nullatenus difflentur, pestilentem, noxiamque magis intra se qualitatem colligunt; quamobrem non oportet statim egressas Viperas surripere, verùm eas aliquod tempus dimittere, vt & libero fruantur aere, & cibis nutriantur consuetis. Hæc ad Pisonem. Venentur igitur Seplasiarii Viperas Vere quidem finiente, nondum tamen Aestate incipiẽte: vel si Ver quò ad magnam suam partem Hiemale fuerit, circa principium Aestatis, non multò post Pleiadum ortum. Viperas autem, quæ prægnantes sunt, reiicere oportet: aliarum verò caput, & caudam abscindere, quæ partes venenatæ etiam plùs esse videntur, & duras, paucasque carnes continere. Sufficiet autem in magnis Viperis, si id, quod vtrinq. ampu-

Quo tempore capiendæ.

Quæ reiiciẽdæ.

amputabimus, quattuor digitorum mensuram nō excedat. Hæc lib. de Antid. Præterea omnino fugere debent Pharmacopœi illas, *quæ non longè à mari commorantur, vel degunt in locis multam salsedinem habentibus; tales enim carnem obtinent salsam*, vt libro 2. Simplicium Medic. Vipe-

Quando interficiendæ.

ræ sunt paulò ante captæ interficiendæ, & non diu retinendæ; nam quæ multo detētæ sunt tempore, magis venenosæ sunt, docente Galeno ad Pamphilianum. Ab his omnibus habemus signa, quibus cognoscere possumus optimas Viperas à nobis seligendas, quibus addit lib. ad Pisonem hoc etiam indicium minimè negli-

Quæ vituperentur.

gendum Gal. dicens: *Dum abscindis caput primum, & caudam, vt diligenter inspicias moneo, numquid post abscissionem detruncatæ Viperæ sine sanguine sine motu, & prorsus sine vita statim consistant: nam tales si inueneris, Antidoto componendæ inutiles arbitrator, imbecillam enim & inualidam habere vim dignoscuntur.* Recentiores affirmant facilè distingui marem à femina cōstrictis partibus pudendis; in mare enim genitalia foras erumpunt, & sub oculis cadunt: quæ interdum à venatoribus, vt decipiant Pharmacopœos, abscinduntur: qui Pharmacopæi non rarò tentant Medicos

dicos decipere astantes, cum mares pro feminis, infirmas pro validis, palustribus locis natas pro illis, quæ commorantur apricis in collibus, & excarnes, ac graciles pro carnosis, arroganti auaritia, atque audacia impulsi suadent illos probare. Sicuti etiam Galeni præcepta spernentes, non quartam partem panis in Trochiscis Viperinis, vel Theriacis efformandis imponunt, sed aut tertiam, aut æqualem Viperarum carni: sed hoc non fortè esset inconueniens, si non profiterentur illius dogmata sequi; cum illo narrante lib. ad Pison. Magnus, & Damocrates, *qui determinant panis portionem, admiscent æqualem carnibus panem, & sic vtraque commiscent*. Et nonnulli, vt legitur 1. de Antid. c. 8. in commiscendo panem Viperis *hanc mensuram seruandā præcipiunt, vt panis pondus Viperinarum carnium dimidio minus sit: alij ne tertiam partem excedat, malūt*. Sed horum multi turpi auaritia ducti, Viperarum carnes per noctem in iure macerant; vt maximam panis triti recipiant copiam; vt Trochiscorum postea augeatur pondus: in quibus procul omni dubio maior est copia panis, quā Viperinę carnis. *Non longè postquam Pastilli confecti fuerint, illis vtēdum erit; rectè namque à prin-*

Seplasiarum nonnullorū fraudes.

Audacia illorum.

Multorum auaritia.

Trochiscorū horum durationis tēpus.

principio ſiccati ad tertium, quartumque annum integri perſeuerant, dummodo tamen aptè reponantur, perſpicuum eſt autem inutiles eos tunc denique reddi cum porforati fuerint, quemadmodum antequam hoc accidat, etiamſi multum tempus interceſſerit, non inutiles. Hæc eodem loco Gal.

De Trochiſcis è Scilla Andromachi, & Gal. 1. de Antid. c. 9.

℞. Scillæ aſſatæ partes tres,
Farinæ Orobi candidæ partes duas.
Ingred. ij.

Simul miſceantur, & Rotulæ tenues conformẽtur, & ſub vmbra, & nõ in Solis radijs collocentur. Hæc Gal. Quæ Andomachus ſic:

Tres Scillæ partes, Erui compone duabus,
Piſtilloque crepet concaua pila diu,
Ac minimos tandem contuſa premantur in Orbes
Quos procul à radijs mitior vmbra tegat.

A cuius verbis apertum euadit legentibus, in mortario Piſtillo diu Scillam, & farinam Erui terendas eſſe, & commiſcẽdas. Sint Scillæ decoctæ in clibano partes inte-

interiores, & tenerrimæ, vt lib. ad Pisonem cap. 13. Gal. scribit, qui hoc in loco decernit Farinæ, & Scillæ æquale esse pondus. Cuius verba: *Scillæ admisce farinæ Erui optimæ, ac recentissimæ tantumdem, sicut Damocrates censet: nam & Magnus, qui dimidium iubet, parum mihi conijcere videtur, & Andromachus, qui duas partes præcipit, nondum satis imponere, cum æqualem Erui portionem Scilla requirat.* In his componendis Trochiscis, quisnam candida farina Erui vtitur? etiam si à Galeno damnetur illa, quæ candida non existit 1. de Antid. cap. 9. cum amarissima sit; quod etiam comprobatur à Dioscoride lib. 2. cap. 119. attamen multi inueniuntur, qui Eruum ruffum commendant, atque probant Gal. frustra imperante. Scilla postquam attrita fuerit per cribrum traiiciatur, & farinæ optimè læuigatæ admisceatur, & Pastilli formentur, qui tenues, & minimi existant, priùs tamen illa in mortario diligenter conterantur.

Error multorum.

Pastilli Hedychroi à Galeno descripti ad Pisonem cap. 13.

℞. Corticum Radicum Aspalathi, eius

defe-

defectu Viticis semina, aut Ligni Aloes,
Calami aromatici,
Florum Iunci rotundi, odorati,
Phu, scilicet Valerianæ,
Costi, in eius defectu Galangæ,
Asari, scilicet Baccharæ,
Ligni Balsami, eius loco Ligni Aloes,
Succi Balsami, eius loco Olei Nucis Myristicæ,
Casiæ ana drach. vj.
Cinnamomi,
Amomi, in eius def, Baccæ Iunip. ana drach. xxiiij.
Amaraci, eius loco Maioranæ dr. xx.
Nardi Indicæ drach. xvj.
Folii, eius loco Macis. drach. vj.
Myrrhæ drach. xxiij.
Mastiches drach. vj.
Croci drach. xix. *Ingred. xviij.*

Vino Falerno (postquam detrita fuerint, & creta) hæc admiscere conuenit, & in Rotulas digerere, quas dum facimus, manus, & feramenta inungemus Balsami liquore, quæ postremò in vmbra siccandæ erunt.

Alia

Alia descriptio Magmatis Hedychroi Andromachi, quæ tãdem ad manus Galeni peruenit, vt 1. de Antid. c. 10. quæ est in vsu, & probatur.

℞. Aspalathi,
Rad. Asari,
Mari, Maioranæ eius loco,
Amaraci ana drach. ij.
Iunci teretis,
Calami odorati, eius loco Angelicæ,
Phu Pontici,
Costi, in eius defectu Zedoariæ,
Xilobalsami, eius loco Ligni Aloes,
Opobalsami, eius loco Olei Nucis Mosch.
Cinnamomi ana drach. iij.
Folij, vt Caryophyl. fol. aut Cinnamomi,
Myrrhæ,
Nardi Indicæ,
Casiæ,
Croci ana drach. vj.
Amomi, in eius def. Baccæ Iuniperi drach. xij.
Mastiches drach. j. *Ingred. xix.*

Vino

Vino Falerno, postquam detrita fuerint, & cribro tenui transmissa, quorum aliqua, vt est artis, per se terantur, vt Mastix, excipiantur, orbiculi fingantur, & eodem modo siccentur, & inungantur Opobalsamo, vt Theriaci, & Scillini. In aliquibus exemplaribus non est Marum.

Pastilli Cypheos Damocratis à Rufo descripti, vt lib. 2. de Antid. refert Gal. cap. 2.

℞. Pulpæ Vuæ Passæ albæ, pinguissimæ, nucleis priuatæ, ac præleuigatæ,
Terebinthinę crematę ana dr. xxiiij.
Myrrhæ,
Iunci rotundi ana drach. xij.
Cinnamomi drach. iiij.
Bdellii vnguis drach. iij.
Aspalathi, Viticis semen eius loco, vel lignum Aloe drach. ij. ß.
Spicæ Nardi,
Casiæ,
Cyperi,
Baccarum Iuniperi grandium, ac pinguium ana drach. iij.
Calami odorati, eius loco Zedoariæ drach. viiij.

Croci

Croci drach. j.
Mellis modicum,
Vini pauxillulum. *Ingred. xv.*

Bdellium, & Myrrham cum Vino in mortario mittunt, & terunt, quoad Mellis crassitiem liquentis iuncta reddant, Mel postea affundunt, Vuas miscent: (prius in mortario detritas, & per cribrum transmissas) demum cetera imponunt contusa. Paruos inde confingunt Orbes. Hæc omnia Damocrates. Possunt Pharmacopæi Bdellium, & Myrrham confracta Vino per diem macerare, vt variis in locis scribit Gal. etiamsi multi Recentiorum forte irridentes tantorum virorum placita, hæc in mortario sic sicca terunt, ac læuigant, & ceteris admiscent. *Aliquorum arrogantia.*

Resina crematur, docente Dioscor. sic: *Resina congius in duobus aquæ pluuiæ coquitur, subiectis leuibus prunis, hæc assidue mouetur donec omnis odor aboleatur, & friabilis, & stridula reddatur, fit hæc eximii candoris, si Resina percoletur; ceterum vbi refrixerit seruetur.* *Resina quomodo crematur.*

Trochisci Galliæ Moschatæ Mesue.

℞. Xiloaloes crudi, boni, & electi dr. v.
Ambræ drach. ij.
Moschi drach. j.

Glutinis Tragacanthi, & aquæ Rosatæ quantum sufficit ad hęc cõprehendenda. *Ingred. v.*

Fiant Trochisci figura folii Myrtei, & sigillati vase vitreo seruentur. Mesue. Aliqui addunt Caphuræ drachmas duas, vel tres, quod aduersatur omnibus Mes. exemplaribus, vt ommes oculis propriis videre possunt.

Error aliquorum.

Lignum Aloes per se teratur, & tenui cribro traiiciatur; Ambra, & Moschus solitaria, vel cum ligno Aloes iam trito, Trãgacanthum in aqua Rosacea maceretur, ita vt gluten euadat, quo illa optime perita excipiantur, & Trochisci parentur exiles, vt experientia demonstrat. Quantitas Tragacãthi sit duarũ circiter drachmarum.

Trochisci Galliæ Sebellinæ Mesue, & parandi Exercitatio circa ipsos.

℞. Foliorum Rosarum recentium, húmidarum se aperire incipientium vnc. j. ß.
Aloes boni, id est, Ligni Aloes,
Caryophyl.

Gummi

Gummi,
Spicæ Nardi ana drach. j. ß.
Sandali Citrini drach. ij.
Ramich, ſcil. Trochiſcorum Ramich. drach. iiij.

Roſæ in mortario lapideo curioſiſſime terantur, quibus poſtea cetera minutiſſime trita admiſceantur, quę contere diem vnum cum Roſis, aliquoties affundendo aquam Roſatam infuſionis Gummi Arabici, ſcilicet iam macerati in aqua Roſacea dicta. Poſtremo aromatiza

Moſchi ſcrip. j.
Ambræ, & Caphuræ aur. ß.

Et fiant Trochiſci, & ſigillentur. Hæc Meſue.

Trochiſci Galliæ Aromaticæ, vel Aleſanginæ Meſue, & Exercitatio.

℞. Myrobala. Emblicarum exoſſatarum, & parum tritarum vnc. iiij.
Aquæ Roſatæ, cui prius Roſæ ſiccæ, & cortices Citrorum ſint infuſi, & immerſi lib. ß.

Myrobalani triduo in vaſe vitreo probè operculato macerentur dicta aqua. Deinde aquæ Roſæ prædictæ infuſionis vnc. iiij. Præterea immitte, & poſtridie

tantumdem donec Emblicarum virtus aquis sit impressa, tunc accipe

Ligni Aloes dr. viij.
Ramich, sc. Trochisci vnc. j.ß.
Caryophyl.
Rosarum an. dr. x.
Spicæ Indæ dr. iij.
Santali flaui drach. iiij.
Gummi Arabi dr. vj.

Tere omnia tenuissime, & cum prædicta Infusione Emblicarum paulatim adiecta misce, aromatiza

Caphuræ,
Moschi ana drach. j.
Ambræ drac. ij. *Ingred. xiiij.*

Finge Trochiscos, sigilla, & vitreo vase serua. Hæc Mes. Tota aqua Rosata erit ponderis vnciar. quattuordecim circiter.

Trochisci Aliptæ Moschatæ Niçolai, & Exercitatio eius.

℞. Ladani puri vnc. iij.
Styracis Calamitæ vnc. j. ß.
Styracis rub. .i. flauæ vnc. j.
Ligni Aloes dr. ij.
Ambræ dr. j.
Caphuræ scrip. j. ß.
Moschi scrip. ß. *Ingred. viij.*

In diebus canicularibus pone Styracem

cem calamitã, Styracem rubeam, & Ladanum in catino ad Solem cum panno ſubtiliſſimo cooperto, ne puluis in illa decidat, prius tamen hæc confracta, & diſrupta ſint, & cum mollia fuerint, ponantur in mortario æreo ad Solem calefacto, & piſtillo ferreo ſimiliter calido ſimul terantur, donec ad nigrum perueniant colorem; poſtea adde puluerem Ligni Aloes, & Caphuræ, & ſimul contere; deinde diſſolue Moſchum in trib. vnciis aquæ Roſatæ, & de hac aqua aliquantulum madefac marmor prius bene lotum, & calefactum ad Solem, & accipe drachmam vnam, alii vnciam j. ſcil. compoſitionis, & cum tabula planiſſima ſuper marmor diu agitetur, donec ad ſubtilitatem Junci perueniat, & cum repoſueris, ſuperaſperge de illa aqua. Hæc Nicol,

Trochiſci Ramich Meſue.

℞. Succi Oxalidis, .i. Acetoſæ vnc. xvj.
Roſarum vnc. j.
Baccarum Myrti vnc. ij.

Semel hæc feruefiant, & cola, his miſce

Gallarum recentium curioſe tritarum, vel ſiccarum dicto liquore per diem maceratarum vncias iij.

Coque iterum, deinde adde
Foliorum Rosarum vnc. j.
Santali Citrei vnc. j. & quartam partem,
Gummi Arabici vnc. j. ß,
Carnium Rhois,
Spodii an. dr. viij.
Omphacii drach. vij.
Succi Baccarum Myrti tritarum vnc. iiij.
Ligni Aloes,
Caryophyl.
Macis,
Nucis Moschatæ ana drach. iiij.

Ingred. xvij.

Terenda terantur, & misce omnia simul, & extende in scutella lapidea vsque dum siccentur, post tere minutim, & cum Caphuræ aureo vno, & aqua Rosarum fac Trochiscos paruos, & sicca in vmbra. Aliqui loco succi Oxalidis sumunt Cydoniorum succum. Hæc Mes.

Trochisci Diarhodon Mesue.

℞. Foliorum Rosarum rubrar. aur. vj.
Spicæ aromat.
Ligni Aloes ana aur. ij.
Glycyrrhizæ aur. iij.
Spodii, scil. ex Ebore aur. j.
Croci aur. ß.

Masti-

Masticheѕ drach. ij.
CumVino albo fiant Trochisci pō-
dere vnius drach. *Ingr. viij.*

Trochisci è Caphura Mesue.

℞. Rosarum dr. iiij.
Spodii,
Glycyrrhizæ an. dr. ij.
Santal. flauorum dr. ij. ß.
Croci,
Sem. Melonum.
Citrul. sc. Anguriæ hoc loco,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Tragacanthi,
Gummi,
Spicæ ana drach. j.
Ligni Aloes,
Cardamomi,
Amyli,
Caphuræ an. dr. j. & scrip. ij.
Sacchari albi,
Mannæ an. dr. iij. *Ingred. xviiij.*

Cum Mucagine seminum Psyllii, & aqua Rosata fiant Trochisci. Saccharum, & Manna, aut Mucagine Psyllii dissoluātur, aut aqua Rosata, quibus omnibus cetera trita, & creta excipiantur. Semina

Psyllii aqua Rosata macerentur, & per cribrum traiiciatur eius Mucago, vt cortices auferantur.

Semina Citrulli, i. Anguria. Hoc in loco semina Citrulli sunt Anguriæ semina, cum in descriptione hac & Cucumeris semina adinueniantur; quod seruandum venit etiam in aliis cōpositionibus, quibus & Citrulli, & Cucumeris adinueniuntur semina.

Trochisci è Rosis Mesue.

℞. Rosarum dr. iiij.
Ligni Aloes dr. ij.
Mastiches dr. j. ß.
Absinthii Romani scil. communis,
Cinnamomi,
Spicæ Nardi,
Casiæ ligneæ,
Schænuanthus an. dr. 1. *Ingred. x.*

Cum Vino antiquo, & Decocto quinque Radicum fac Trochiscos drachmar. duarum. Sunt quinque Radices communes hæ, scil. Brusci, Asparagi, Apii, Petroselini, & Fœniculi. *Quinque radices quæ.*

Trochisci de Spodio Mesue cum semine Oxalidis.

℞. Rosarum rubearum dr. xij.

Spodii,

Spodii, scil. ex Ebore dr. x.
Sem. Oxalidis, scil. Acetosæ dr. vj.
Sem. Portulacæ,
Sem. Coriand. Aceto macerato-
rum, & torrefactorum an. dr. ij. ß
Pulpæ Rhois, sc. Sumach dr. ij. ß.
Amyli assi, id est, perfecte exsiccati,
Balaustiorum,
Baccarum Oxyacanthæ, scil. Ber-
berorum ana dr. ij.
Gummi Arabi assi dr. j. ß.
Terantur, vt est artis, & cõprehen-
dantur Omphacio, scil. succo A-
crestæ. *Ingred. xj*

Trochisci Terræ Sigillatæ Mesue.

℞. Sanguinis Draconis, scil. Gummi,
quod sic vocatur,
Gummi Arabi assi,
Fumariæ, .i. Sedenegi Arabice, &
non Hæmatitis,
Trochis. Ramich,
Foliorum Rosarum,
Seminum earundem,
Succini, .i. Charabæ,
Amyli assi,
Spodii,
Acaciæ,

Hypoci-

Hypociſtidos,
Lapidis Hæmatitæ,
Balauſti,
Boli Armenicæ,
Terræ Sigillatæ,
Corallii an. dr. ij.
Margaritarum
Tragacanthi,
Sem. Papaueris nigri an. dr. j. ß.
Sem. Portulacæ aſſæ,
Cornu Cerui vſti,
Thuris maſculi,
Croci an. dr. ij. *Ingred. xxiiij.*

Cum aqua Plantaginis fac Trochiſcos. Cogimur interdũ his addere Opii drachmas duas. Sint Spodium, Corallia, Lapis Hæmati, Margaritæ, & Cornu Cerui ſecundum artem parata, ac diligenter ſuper cotem læuigata. Ridiculum eſt audire aliquos ſumentes loco Sedenegi Lapidem Hæmatit. cum in ipſa deſcriptione adinueniatur.

Error aliquorum.

Trochiſci Electri, ſeu Charabe Meſue.

℞. Succini ſcil. Charabe aur. vj.
Cornu Cerui vſti,
Gummi vſti,
Corallii vſti,
Tragacanthi,

Acaciæ

Acaciæ,
Hypociſtidos,
Balauſti,
Maſtiches,
Cancami, ſcil. Laccæ,
Sem. Papauer. nigri aſſi ana aur. ij.
Thuris,
Croci,
Opii ana aur. j. ß. *Ingred. xv.*

Fac Trochiſcos cum Mucagine Semin. Pſyllii, dr. vnius aquæ feruenti macerati.

Trochiſci Rhabarbari Meſue.

℞. Rhabarbari boni drach. x.
Succi Eupator. i. Agerati denſati,
Amygdalar. amararum an. dr. iiij.
Roſarum dr. iij.
Spicæ,
Aniſi,
Rubiæ, ſcil. Erythrodani Dioſcor.
Abſinthii,
Aſari, ſcil. Baccharæ,
Sem. Apii an. dr. j. *Ingred. x.*

Fac Trochiſcos pondere vnius aurei.

At quoniam Meſue prætermiſit liquorem, quo excipi debent, ſucco Cicorii conficiantur, cui ſuccus Eupatorii admiſceatur.

Trochi-

Trochisci Absinthii Mesue.

℞. Rosarum,
Absinthii,
Anisi ana drach. ij.
Rhabarbari,
Succi Eupatorii, sc. Agerati densati,
Asari, scil. Baccharæ,
Apii,
Amygdalarum amararum,
Spicæ ana drach. j.
Mastiches,
Folii vt Caryoph. an. dr. j.
Cum succo Intybi, scil. Endiuiæ, fac, vt est artis, Trochiscos. *Ingred. xij.*

Trochisci Eupatorii Mesue.

℞. Mannæ,
Succi Eupatorii, scilicet Agerati ana vnc. j.
Rosarum vnc. ß.
Spicæ drach. iij.
Rhabarbari,
Asari, id est, Baccharæ,
Anisi an. dr. ij.
Spodii drach. iij. ß. *Ingred. ix.*

Cum

Cum herbarum ſuccis forma Trochiſcos, vt multis placet & nobis, ſcil. Eupatorii, & Abſinthii, quibus Manna diſſoluatur.

Trochiſci Cancami, ſeu Laccæ Meſue.

℞. Cancami mundi, ſc. Laccæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Abſinthii,
Oxiacanthæ, ſcil. Berberis,
Succi Eupatorii, ſcil. Agerati,
Rhabarbari,
Ariſtolochiæ longæ,
Coſti, eius loco Zedoariæ,
Aſari an. dr. j.
Amygdalarum amararum,
Rubiæ ſcil. Erythrodani Dioſc.
Aniſi,
Apii,
Schænuanthus an. dr. j. *Ingr. xv.*

Fac Trochiſcos ex arte. Ut vino odorato, aut Abſinthii ſucco, cum Meſue prætermiſerit liquorem, quo excipi debent.

Trochiſci Capparum Meſue.

℞. Corticum radicum Capparis,
Sem. Agnicaſti, .i. Viticis, vel Ligos an. dr. vj.

Melan-

Melanthii, ſcil. Nigellæ,
Calaminthes,
Acori, eius loco Calami aromat.
Amygdalarum amararum,
Naſturtii,
Ammoniaci,
Foliorum Rutæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Succi Eupatorii, ſc. Agerati Dioſc.
an. dr. ij.
Cyperi,
Scolopendrii, loco eius Citrach. an. dr. j. *Ingred. xiiij.*

Ammoniacum Aceto diſſoluatur, quo fingantur Trochiſci, & ſeruentur. Sunt qui valentius hos efficiunt duplicato Ammoniaco. Meſ.

Trochiſci Hamech, ſeu de Violis Meſue, qui ſint in vſu.

℞. Foliorum Violarum inter humiditatem, & ſiccitatem mediorum aur. xij.
Turpethi albi, & gummoſi aur. vj.
Succi Glycyrrhizæ aur. iij.
Mannæ dr. iij. *Ingred. iiij.*

Fac Trochiſcos, quibus interdum addimus Scammonii drachmas duas. Terantur

dantur Violæ recentes in mortario lapideo, quibus addatur Manna, & Glycyrrhizæ ſuccus minutim inciſus, quæ ſimul diligenter tundantur, & miſceantur, & poſtremo Turpethum tritum, & cretum addatur.

Alia deſcriptio.

℞. Foliorum Violarum,
Manna ana dr. iij.
Succi Glycyrrhizæ dr. j. *Ingred. iij.*

Miſce conterendo accurate, & finge Trochiſcos. Succus Glycyrrhizæ ſi neceſſitas expoſtulabit, ſucco Violarum ſoluatur.

Trochiſci Agarici Meſue cap. de Agarico, qui à nobis laudantur.

℞. Agarici drach. iij.
Salis gemmæ drach. j.
Mannæ quantitatem idoneam ad illa excipienda. *Ingr. iij.*

Agaricus per ſe fricando ſuper cribrum ſetaceum læuigetur, Sal gemmæ in mortario placide comminuatur, Mannæ miſceantur, & fiant Trochiſci

Alia deſcriptio Galeni referente Meſue.

℞. Agarici ſubtiliter triti vnc. ij.

Macere-

Maceretur in Vino, cui infusa fuerit Zingiberis drachma vna, & dimidia, & cogatur in Trochiscos. *Ingred. iij.*

Alia descriptio à multis Mesue attributa, Seplasiariis vtilis, sed infirmis incommoda, quæ vituperatur à nobis.

℞. Agarici elect. vnc. j. ß.
Zingiber. dr. j. & script. j.
Salis gemmæ vnc. ß. vel quod melius dr. ij.
Oximellis quantitatem idoneam.
Ingred. iiij.

Seplas. auaritia. Seplasiarii tali descriptione fere omnes vtuntur maximo cum detrimento ægrotantis: si enim Medicus cupit exhibere infirmis drach. Agarici duas, nec vnam exhibent; pro qualibet enim vncia Agarici saltem Oxymelitis altera ad optime omnia vniendum desideratur.

Trochisci Colocynthidos Mesue.

℞. Pulpæ Colocynthidos albæ, leuis, & à seminib. purgatæ drach. x.
Olei Rosati vnc. j.
Tragacanthi,

Bdellii

Bdellii,
Gummi ana drach.vj. *Ingred.v.*

Colocynthis forficibus incidatur, & fricetur cum Oleo Rosato; Tragacanthum, Bdellium, & Gummi aqua Rosarum dies quattuor macerentur, siccentur in vmbra, curiosè terantur, & eadem Mucagine forma rursus Trochiscos, & vtere: Hi iniiciantur in Hieram Hermetis, & compositiones alias loco Colocynthidos. Hæc Mes. Scilicet in illas, in quarum structura non ingrediuntur Bdellium, Tragacanthum, Gummi, Mastix, vel Ladanum; ab his enim Colocynthis optimè castigatur, vt cap. de Colocynth. de legitur. Non negamus autem & his esse vtendum, etiamsi iam dicta corrigentia recipiantur, si in aliqua descriptione reperiãtur. Interdum enim Autores placidè humores purgare cupiunt, & sine ventriculi noxa. Sed hoc ad Seplasiarium non attinet.

Trochisci ex Arsenico Mesue.

℞. Arsenici citrini vnc.j.
Calcis non extinctæ drach.xij.

Acaciæ,
Chartarum aduſtarum,
Fœcis Aceti aduſti,
Aluminis, communis eius loco,
Balauſtii ana drach.ij.
Colcotar, ſ. Nitri, aut Salis vſti eius loco,
Floris Æris ana drach.v. *Ingred.xj.*

Terantur cum Aceto, & ſtent in Sole per dies decem, fac Trochiſcos, reponantur in vaſe vitreo, cuius os ſtringatur, quod vas ponatur in vaſe, in quo fuerit Acetum, & quando expoſtulat neceſſitas, ponunt in eis Opii drachmas quatuor. Meſ.

Trochiſci Alchechengi, ſeu Halicacabi Meſ.

℞. Baccarum Halicacabi, ſ. Alchechengi, vel Solani veſicarii drach.iij.
Sem. Citrulli, ſ. Cucumeris,
Melonis Indi, Arabicè Albathecæ, ſ. Anguriæ,
Cucurbitæ ana drach.iij.ß.
Boli Armenicæ,
Gummi Arabi,
Thuris,

Sanguinis Draconis,
Sem. Papaueris albi,
Amygdalarum amararum,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Amyli,
Nucleorum Pinearum ana drach. vj.
Sem. Apii,
Succini, s. Charabe,
Terræ Sigillatæ,
Sem. Hyosciami,
Opii ana drach. ij. *Ingred. xx.*

Cum Iulep fiant Trochisci, aut Hydromelite. Multa horum per se terantur, Opium Hydromelite maceretur, & dissoluatur.

Trochisci Viticis, vel Agnicasti Rhasis.

℞. Seminum Viticis, s. Agnicasti,
Tamaricis ana drach. v.
Sem. Endiuiæ,
Portulacæ ana drach. ij. *Ingred. v.*
Formentur Troch. aqua, aut Decocto Scolopendr.

Trochisci Myrrhæ Rhasis 9. ad Almansor.

℞. Myrrhæ drach. iij.
Lupinorum drach. v.
Foliorum Rutæ,
Mentastri,
Pulegii,
Cumini,
Rubiæ, s. Erythrodani Dioscor.
Assæ fœtidæ,
Sagapeni,
Opoponacis ana drach. ij. *Ingred. x.*
Gummi Aceto dissoluantur, quo cetera trita excipiantur.

Trochisci Hellebori Auic. lib. 4. Pract.

℞. Hellebori albi aur. iij.
Nitri, eius loco communis, aut Salis vsti aur. xvj.
Croci aur. iij. *Ingred. iij.*
Formentur cum Aceto Trochisci, vt est artis.

Trochisci Bdellij Auic. in Pract.

℞. Rosarum rubearum drach. x.

Spicæ aromaticæ drach. ij.
Myrrhæ drach. j.
Costi, Galangæ eius loco drach. j. ß.
Mastiches drach. j.
Amygdalarum amar. drach. j. ß.
Bdellii drach. iij. *Ingred. viij.*

Bdellium Vino maceretur, quo cetera excipiantur, priùs tamen colo raro traiectum sit.

Trochisci è Minio Ioannis à Vigo.

℞. Medullæ panis non cocti, benè fermentati vnc ß.
Sublimati electi drach. j.
Minii drach. ß.
Aquæ Rosatæ q. s. *Ingred. iiij.*

Formentur Trochisci, qui clibano subitò siccentur.

DE PILVLAS CONFICIENDI RATIONE

COMMENTARIVM VIII.



PILVLAE, *seu Catapotia illa dicuntur Pharmaca, quæ in vnum coadunata in exiles Orbiculos, vel Globulos digeruntur*, vt Actuario placet lib. de Comp. Medic. Hac methodo parentur.

Omnia, si ex siccis conflantur, eo modo, ac ordine tritanda erunt, quæ patefecimus Comm. de Pulueribus, quæ cribro tenui excutiantur, vel per pannum subtilem, imperante Haly.

Purgantia solitaria comminuantur, ne longo tempore detrita euanescãt: etiamsi Colocynthis longam ferat triturationem, teste Mes.

Lapides accuratè abluendi, & super cotem læuigandi, vt Cianeus, & Armenus, docente Mes.

Gummi, & Succi densati per diem, & noctem macerentur aliquo liquore, qui

sit

ſit Aqua Caulis, aut Porri, iubente Auicen. lib. 5. Hæc diſſoluenda eſſe reliquerũt ſcriptum Meſ. Serap. & Haly, qui ferè omnia aqua calida macerabant, & excipiebant. Nos autem aut Decocto, aut Succo, aut Aqua alicuius Simplicis, quod ingrediatur compoſitionem, iubemus illa diſſoluere, & omnia in vnum cogere, dummodo à Scriptore non ſit aliud determinatum. Serapio in Antid. c. 17. vtebatur aquis ſtillatitiis pro diuerſitate aut morborum, aut affectionum.

Sit Aqua, aut Succus, aut Liquor tanta quantitate, quanta ſit ſufficiens ad omnia ſimul vnienda, quæ quidem etiamſi ſit æqualis ponderi Specierum non raro; attamen tractu temporis tota euaneſcit, quod vt videantur euitare Seplaſiarii aliqui noſtræ ætatis, auaritia tamen impulſi, vt ſui eſt moris, excipiunt omnes ferè Pilulas Melle Roſaceo maxima cum pernicie ægrotantis, & Medicorum infamia; nam iſti cum pro rato, ac firmo habeant exhibere ægrotantibus drachmam vnam Pilularum Cochiarum, dimidiam circiter illis tribuunt. Satis enim omnibus eſt adapertum ad vnciam vnam Specierum, vel tritorum vniendam, dummodó copioſa non ſit Aloe, requiri tantumdem Mellis

Seplaſiariorũ auaritia & error.

Rosati, aut Serapii, vel paulò minus, vt drachmæ sunt sex; at Aquæ, aut Succi solùm drach. duæ, vel tres expostulantur. Quapropter non fit illa humorum euacuatio, quæ à Medico anxiè expectatur, & ab ægro desideratur: præterea nonne sententiæ Scriptorum aduersantur, & maximè Mes. cum pro succo Cauliũ Syr. succo Caulium confectum sumere decernant? Quid irrationabilius, quàm audire Seplasiarium corrigentem, ac castigantem omnino præter rationem, quod cachinno est dignum, grauium Scriptorum præcepta, atque mandata? Sed fortè dicent illi non paruum imminere periculum, ne tractu temporis arescant, & quoquomodo in lapidem vertantur: parent isti, si hoc timent, paucam quantitatem Confectionis, qua Pilulæ conficiuntur, & sic euitabunt hanc futuram, vt dicunt, siccitatem, quam tamen vt videre licet, contemnunt in Confectione Pilularum Alefanginarum, quæ breui tempore sicca euadit, & sine aliquo detrimento liquore iniecto in Pilulas efformatur.

Cum omnia vnita fuerint, vigorosè terantur, vt quælibet particula integrè inalteretur à calore pistillorum suscitato,

&

& commiſceatur, Haly mandatum, dum de Trochiſcorum Confectione agit, quæ vnita ſi cupis exſiccare, ſub vmbra collocentur, vt ille poſteritati ſcriptum reliquit.

Diu perdurant, damnantur tamen exucto earum vernaculo humore, quod à longitudine temporis euenire ſolet. Hæc Actuar. lib. de Comp. Med. Serapio Pilulas à duobus menſibus ad ſex optimas eſſe decreuit.

Catapotia Aromatica, ſeu Pilulæ Aleſanginæ Meſue, & modus eas parandi.

℞. Cinnamomi,
Cubebæ,
Ligni Aloes,
Calami aromat.
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Cardamomi,
Caryophyl. ana vnc. j.
Aſari, ſ. Baccharæ,
Maſtiches,
Schænuanthus,
Spicæ,

Car-

Carpobalsami, Cubebæ eius loco ana vnc.j.

Absinthii sicci, s. communis,

Rosarum ana drach.v.

Aquæ lib.xij.

Parùm terantur, & fundatur super ea aqua, & coquantur ad consumptionem octo librarum, fricentur tunc manibus, colentur & exprimantur. Accipe

Aloes bonæ, sæpe ablutæ, vt ter in scutella lapidea vitreata cum aqua pluuia lib.j.

Siccetur, cui affunde Decocti prædicti lib.ij. circiter, tere in Sole, deinde dictæ Aloe misce

Myrrhæ,

Masticbes ana drach.v.

Croci drach.iij. *Ingred.xx.*

Tere hæc curiosè, & reliquum Decocti ipsis affunde terendo, (potiùs miscendo) donec siccescant, fac Catapotia Ciceris magnitudine.

Decoctum seruetur Oleo superinfuso, vt capite de Decoctis abundè narrauimus. Quis terit in Sole dictam massam, vt iubet Mesue?

Error Seplasiar.

Pilu-

Pilulæ Stomaticæ, vel Stomachicæ Mes.

℞. Hieræ Picræ, s. Mesue drach. vij.
Trium Myrobalan, scilicet Chebul. Citrin. & Indarum ana drach. iij.
Agarici drach. ij.
Turpethi boni drach. x.
Epithymi Cretici,
Anisi ana drach. ij. ß.
Salis Indi drach. ij.
Absinthii,
Scammonii ana drach. iij. *Ingred. xiij.*

Cum Penidiorum drachmis tribus, & succo Cichorii fac Catapotia. Penidia in succo dissoluantur, cui cetera prius trita secundum artem addantur; inter quæ Scammonium castigatione non indiget, cum Myrobalani, Absinthium, & Hiera existant, & à Mesue non exprimatur; cum enim hoc desiderat, adapertè scribit, vt in Pilulis Aggregatiuis videre licet. *Error multorum.*

Catapotia Euphorbij Mesue.

℞. Euphorbii,
Colocynthidos,

Aga-

Agarici,
Bdellii,
Sagapeni ana drach.ij.
Aloes drach.v. *Ingred.vij.*

Finge cum aqua Porri Mes. Ferè semper ab Arabis vsurpatur aqua pro succo, in quo Gummi dissoluantur; Bdellium Colocynthidem castigat. Et ideo Trochisci Alhandal fugiendi.

Error aliquorum.

Catapotia Aggregatiua, siue Polycresta Mes.

℞. Myrobalan. Citrin.
Rhabarbari ana drach. iiij.
Succi Eupatorii, s. Agerati,
Succi Absinthii densatorum ana dr. ij.
Scammonii Antiocheni in Pomo cocti drach. v.
Myr. Cepularum,
Chebularum,
Indarum,
Agarici,
Colocynth.
Polypodii ana drach. ij.
Turpethi,
Aloes ana drach. vj.

Masti-

Masticheſ,
Roſarum,
Salis Gemmæ,
Epythimi,
Aniſi,
Zingiberis ana drach.j. *Ingred.xx.*

Electarij Roſarum quantum ſufficit ad comprehenſionem. Meſ.

Si ſumãtur Succi denſati, erunt efficaciores, hi aut pauciſſima aqua Abſinthii diſſoluantur, aut vnà cum Electario accuratè commiſceantur. Corrigit Meſ. Pomo Cydonio Scammonium etiamſi multa extent illud caſtigantia; quod ſeruandum venit. Ignoratur enim à Seplaſiariis Autoris finis.

Pilulæ è Rhabarbaro Meſue.

℞. Rhabarbari drach.iij.
Succi Glycyrrhizæ,
Succi Abſinthii, ſ. denſati,
Maſtiches ana drach.j.
Myrobal. Citrin. drach.iij.ß.
Sem. Apii,
Fœniculi ana drach.ß.
Trochiſcorum Diarhodon dr.iij.ß.

Hieræ

Hieræ Picræ, ſ. Meſues drach. x. *Ing. x.*

Error multorum. Aqua Fœniculi excipiantur, & non Melle Roſato, vel Syrup. è ſucco Fœniculi, vt multi dicunt; cum Meſ. iam talem aquam præfixit, quæ quidem à ſucco Abſinthii, & Glycyrrhizæ acquirit aliquem lentorem, qui eſt in cauſa, ne tam citò areſcant. Diſſoluantur aqua illa Fœniculi ſucci, ſcilicet Abſinthii, & Glycyrrhizæ.

Catapotia Sagapeni Meſue.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Bdellii,
Opoponacis,
Aloes,
Caſtorei,
Sem. Harmel, ſ. Rutæ agreſtis ana drach. ij.
Colocynthidos drach. iij. *Ingred. ix.*

Fac maſſam cum aqua Porri, Meſ. in qua diſſoluantur Gummi, quæ Colocynthidem corrigunt; & ideo damnandi ſunt, *Error multorum.* qui Trochiſc. Alhandal vtuntur.

Pilu-

Pilulæ Inde Haly referente Mesue.

℞. Myrobalan. nigrarum,
Hellebori nigri,
Polypodii ana drach. v.
Epithymi,
Stæcados ana drach. vj.
Agarici,
Lapid. Cyanei, s. Lazuli loti,
Colocynthidis,
Salis Indi ana drach. iiij.
Succi Eupatorii, s. Agerati densati,
Spicæ ana drach. ij.
Caryophyl. drach. j.
Hieræ Picræ Mesue drach. x. *Ing. xiiij.*
Fiat massa cum succo Apii, in quo soluatur succus densatus.

Pilulæ ex Sarcocolla Mesue.

℞. Sarcocollæ drach. iij.
Turpethi drach. iiij.
Colocynth. drach. j. ß.
Zingiberis drach. j. ß.
Salis gemmæ drach. i. *Ingred. vj.*
Dissolue Sarcocollam in aqua Rosata, & omnia in vnum coge. Mes.

Cata-

Catapotia Fœtida maiora Mesue.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Opoponacis,
Bdellii,
Colocynthidis,
Sem. Rutæ agrestis, Harmel Arabicè,
Aloes,
Epithymi ana drach. v.
Hermodactylorum,
Alscebran, i. Esulæ ana drach. ij.
Scammonii drach. iij.
Cinnamomi,
Spicæ,
Croci,
Castorei ana drach. j.
Turpethi drach. iiij.
Zingiberis drach. j. ß.
Euphorbii script. ij. *Ingred. xix.*

Dissolue lacrymas aqua Porri, & finge massam. Mesue. Nec Colocynthis, nec Scammonium aliqua correctione indigent, cum tot Gummi, & Aromata in se recipiant. Multa horum per se terantur. Gummi postquam dissoluta per cribrum setaceum traiiciantur.

Error aliquorum.

Cata-

Catapotia ex Thimelea Mesue, siue Mezereon.

℞. Foliorum Mezereon, .i. Thimeleæ Diosco. in Aceto infusorum, & exsiccatorum drach. v.
Myrobalanorum Citr. drac. iiij.
Cepularum, i. Chebul. dr. iij. *Ing. vj.*

Forma cum Manna, & Tamarindis, aqua Intybi, sc. Endiuiæ solutis, Mes. Pulpa Tamarindorum per cribrũ traiecta sit.

Pilulæ Lucis, seu Opticæ Maiores Mesue quæ sunt in vsu.

℞. Rosarum,
Violarum,
Absinthii,
Colocynthidis,
Turpethi,
Cubebæ,
Nucis Moschatæ,
Calami aromatici,
Spicæ,
Epithymi,
Carpobalsami, Baccarum Juniperi eius loco,
Xilobalsami, Ligni Aloes eius loco,
Seseleos, Sileris Montani eius loco,

Sem Rutæ an. dr. ij.
Schænuanthus,
Asari, scil. Bacchara,
Mastiches,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Anisi,
Fœniculi,
Apii,
Casiæ,
Croci,
Macis ana drach. ij.
Myrob. Citrinarum,
Cepularum,
Indarum,
Bellericarum,
Emblicarum.
Rhabarbari an. dr. iiij.
Agarici,
Senæ an. dr. v.
Euphragiæ drach. vj.
Aloes pondus omnium. *Ing. xxxv*

Comprehende succo Fœniculi, Mesu... Colocynthis non tantum à quinque M... robalanis corrigitur, sed ab innumeris A... romatibus.

Pilulæ ex Agarico Mesue.

℞. Agarici dr. iij.
Radicis Ireos,

Pr...

Prasii an. dr. j.
Turpethi drach. v.
Hieræ Picræ, scil. Mesues dr. iij.
Colocynthidis,
Sarcocollæ an. dr. ij.
Myrrhæ drach. ij. *Ingred. ix.*

Confice cum Robub, i. e. Sapa. Mes. Castigatur Colocynthis à Sarcocolla, & Hiera, & Myrrha.

Pilulæ ex Hermodactylis Majores Mes.

℞. Hermodactylorum,
Aloes,
Myrobalan. Citrin.
Turpethi,
Colocynthidis,
Bdellii,
Sagapeni ana dr. vj.
Castorei,
Sarcocollæ,
Euphorbii,
Opoponacis,
Sem. Harmel, .i. Rutæ agrestis,
Apii an. dr. iij.
Croci drach. j. ß. *Ingred. xv.*

Forma cum succo Caulium vt Mesue in quo Gummi dissoluantur. Colocynthis castigatur à Gumis, balbutiant quidquid somniant nonnulli; ad quid enim *Error aliquorum.*

tot genera Gummi? nisi vt corrigant illam, & etiam coadiuuent ipsam ad operationem; sed hæc ad Seplasiarios non attinent.

Pilulæ Sebelliæ Mesue.

℞. Spicæ Indæ drach. v.
Spicæ Romanæ, .i. Celticæ dr. ij.
Rhabarbari,
Agarici,
Epithymi ana dr. iij.
Costi, Galangæ eius loco,
Mastiches,
Camedryos, à vulgo Calamādrinæ,
Amomi, in eius defectu Cubebæ
ana dr. iij.
Croci drac. ij.
Myrrhæ,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Schænuanthus ana drach. j.
Aloes drach. x. *Ingred. xvj.*
Cum Vino albo fiat Massa.

Pilulæ ex Lapide Lazuli Mesue.

℞. Lapidis Cyanei loti, sc. Lazuli dr. vj.
Epithymi,
Polypodii ana drach viij.
Scammonii,

Corti-

Coricum radic. Hellebori nigri,
Salis Indi ana dr. ij. ß.
Agarici drach. viij.
Caryophyllorum,
Anisi ana dr. iiij.
Herbæ Picræ, sc. Mes. dr. xv. *Ingr. xj.*
Uniantur cum succo Intybi,.i. Endiuiæ.

Catapotia Fumariæ Auicennæ
Fen. 3. cap. 7.

℞. Myrob. Citrinarum,
Cepularum, i. e. Chebul.
Indarum an. dr. v.
Aloes Succotrinæ dr. vij.
Scammonii dr. ß. *Ingred. vj.*

Excipiantur aqua Fumariæ, & exsiccentur, quod ter agendum venit, deinde ponantur. Scammonium à Myrobalanis castigatur, & ideo non parandum. *Error multorum.*

Pilulæ Arabicæ Nicolai.

℞. Aloes vnc. iiij.
Brioniæ, sc. Vitis albæ Diosc. ab Arabis Alfescera,
Myrob. Citrinarum,
Bellericarum,
Indarum,
Cepularum,
Emblicarum,

Masticһes,
Dachrydii,
Asari, .i. Baccharæ ana vnc. j.
Rosarum vnc. j.
Castorei drach. iij.
Croci dr. j. *Ingred. xiiij.*

Excipiantur Fœniculi, aut Absinthii succo. Frustra me iudice imponitur Dachrydium, cum tot sint Scammonium præparantia, sed omnino acquiescendum venit Autoris mandatis.

Error multorum.

Pilulæ de Tribus cum Rhabarb. quæ sunt in vsu.

℞. Rhabarbari elect.
Agarici optimi,
Aloes Succotrinæ an. vnc. j.
Mellis Rosati, & Vini aromat. ana q. s. *Ingred. v*

Per se omnia comminuantur, & Mellis Rosati, & Vini æquali portione excipiantur.

Pilulæ Aureæ Nicolai.

℞. Aloes,
Dachrydii ana dr. v.
Rosarum,
Sem. Apii an. dr. ij. ß.
Anisi,

Fœni

Fœniculi ana dr. j. ß.
Croci,
Mastiches,
Colocynthidis ana dr. j. *Ingred. x.*

Cum Tragacanthi mucagine fiat massa. Colocynthis præter rationem castigatur; cum Masticen, & Tragacanthum cõpositio recipiat. Sed aliqui repugnantes Nicolai dictis, loco Tragacanthi Mel Rosaceum ponunt, quod quidem omnino est præter rationem, vt iam diximus. *Error aliquorum. Error aliorum.*

Pilulæ Cochiæ Rhasis lib. 9. ad Almans.

℞. Hieræ Picræ Rhas. de qua, vbi de Hieris drach. x.
Colocynthidis drach. iij. & scrip. j.
Scammonii drach. ij.
Turpethi,
Stæcados an. dr. v. *Ingred. v.*

Fiat massa. Cum nullus sit liquor, excipiantur aqua Betonicæ, quibus, si Medici desiderant, hæc addantur

Pilulæ Cochiæ cum Helleboro.

℞. Corticum radicum Hellebori nigri drach. ij.
Dauci,
Origani ana dra. ß.

Jam dictis illis tritis hæc comminuta admiſceantur, & vt diximus, aqua Betonicæ omnia excipiantur.

Pilulæ Arthriticæ Nicolai.

℞. Hermodactylorum,
Turpethi,
Agarici ana drach. iiij.
Caſiæ,
Spicæ,
Caryophyllorum,
Xilobalſami, eius defectu ligni Aloes,
Carpobalſami, Cubebæ eius defectu,
Macis,
Galangæ,
Zingiberis,
Maſtiches,
Aſari, id eſt, Baccharæ,
Saxifragiæ,
Sem. Aniſi,
Fœniculi,
Aſparagi,
Ruſci, id eſt, ſilueſtris Mirti, vt Dioſcor.
Milii Solis,
Roſarum,
Salis gemmæ ana drach. ß.

Aloes

Aloes ad pōdus omnium. *Ing.xxiij.*
Cum succo Fœniculi, aut Iuæ fiat massa.

Pilulæ Assaiareth Gentilis.

℞. Hieræ simplicis, .i. Galeni vnc. j.
Mastiches,
Mirob. Citrinarum an. drac. iiij.
Aloes vnc. ij. *Ingred. v.*
Cum Syrupo de Stæcade fiat massa.

Pilulæ de Hiera cum Agarico, quæ magis sunt in vsu, & à nobis probantur.

℞. Hieræ Simplicis Galeni vnc. ij.
Agarici elect. dr. v.
Mellis Rosacei q. s. *Ingred. iij.*
Sed melius Vini Aromatici.

Quo cetera excipiantur. Nonnulli loco Simplicis Agarici per se super cribrum comminuti, imponunt Trochiscatum, sed augent eius quantitatem ad drachmas sex. *Error aliquorum.*

Catapotia Hieræ Simplicis Galeni, quæ sunt in vsu.

℞. Hieræ Simplicis Galeni vnc. j. ß.
Mellis Rosacei quantitatem idoneam. *Ingred. ij.*

Fiat

Fiat Massa. Melius erit excipere Hieram aqua Betonicæ; possunt enim quolibet tempore parari.

Pilulæ Mastichinæ Conciliatioris.

℞. Mastiches drach. iiij.
Aloes drach. x.
Agarici drach. iij. *Ingred. iiij.*

Excipiantur succo Altiliæ, .i. Artemisiæ, vel decocto Stæcados; at non eius Serapio, vt iam demonstrauimus. Et omnia per se terantur.

Error aliquorum.

Pilulæ sine Quibus esse nolo Nicolai.

℞. Aloes lotæ dr. xiiij.
Myrob. Citrinarum,
Indarum,
Emblicarum,
Bellericarum,
Cepularum, id est, Chebul.
Rhabarbari,
Mastiches,
Absinthii,
Rosarum,
Violarum,
Senæ,
Agarici,
Cassutæ, .i. Cuscutæ an. dr. j.
Scammonii dr. vij. ß. *Ingred. xvj.*

Cum sufficienti quantitate succi Fœniculi, in quo sint triti, ac læuigati Scammonii drachmæ illæ septem cum dimidia, fiat massa inunctis manibus Oleo Violaceo. Semper pondus Myrobal. intelligatur esse illarum, quæ nucleis prius sint priuatæ.

Pondus Myrobal. quomodo sumendum.

Pilulæ è Nitro Alexandri Tralliani.

℞. Aloes,
Colocynthidis,
Scammonii ana drach. j.
Bdellii,
Hellebori nigri,
Gummi ana dr. j.
Euphorbii,
Nitri, sc. communis in def. vel Salis adusti drach. ß.

Excipiantur succo Caulium, in quo Bdellium, & Gummi macerentur. *Fng. ix.*

Pilulæ de Cinoglossa Nicolai Præpositi.

℞. Cynoglossi, .i. Linguæ Canis,
Opii,
Sem. Hyoscyami, sc. albi ana dr. iiij.
Myrrhæ dr. vj.
Thuris drach. v.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,

Styra-

Styracis calamitæ ana drach. ij.

Ingred. ix.

Excipiantur aqua Rosacea, in qua, si occasio postulabit, Opium, & quædam alia dissoluantur, ac læuigentur.

Pilulæ de Arnoglosso, seu Plantagine.

℞. Thuris,
Myrrhæ,
Succi Glycyrrhizæ an. dr. ij. *Ing. iij.*
Cum succo Plantaginis fiat Massa.

Pilulæ è Cinoglossa Mes. quæ à nobis commendantur.

℞. Myrrhæ dr. vj.
Thuris dr. v.
Opii,
Sem. Hyoscyami, sc. albi an. dr. iiij.
Croci dr. j. ß.
Radicum Linguæ Canis, quæ dicitur Cinoglossa dr. iiij. ß. *Ingr. vj.*
Forma massam aut cum decocto illarum radicum, aut cum succo herbæ.

Pilulæ ex Aloe abluta, aut inalterata, seu nutrita, vt Recentiores dicunt.

Fiunt Pilulę non raro ex simplici Aloe, quæ interdum abluitur, vt abiiciat acrem, atque

atque mordacem eius qualitatem; ſit aqua pluuia, aut Endiuiæ, aut Bugloſſi, in qua poſtquam detrita fuerit, agitetur & miſceatur diligenter, & poſtea ſic relinquatur, donec reſideat, aqua illa reiiciatur; quod ter, aut quater iterandum venit, deinde exſiccetur, & recondatur. Interdum non abluitur, ſed aliquo ſucco imbuitur, atque nutritur; non enim abiicitur exempli gratia ſuccus Roſarum, ſed ſub Sole ſæpe agitando vnà cum Aloe, exſiccatur; hoc reiteretur quinquies, vel etiam decies, ſi vigoroſiorem eſſe Aloem deſideras, ſit tanta quantitate, vt Aloe ſubſidear, & ſuccus ſuperet, & operiat illam. Imbuitur variis ſuccis etiam, vt Cicorii, Violarum, Fumariæ, Bugloſſi, & ſimilium, non raro Decoctis, & Infuſis, vt Rhabarbari, & Roſarum recentium diligenter expreſſis, vel Myrobalanorum, vel Sauinæ, ægre enim ab ipſa elicitur ſuccus, niſi prius maceretur eius decocto, vel ſaltem irroretur, & prælo exprimatur. In vſu ſunt Pilulæ illæ, quæ ex Aloe ſucco Roſarum nutrita parantur: ſed pauci extant Pharmacopolæ, à quibus nouies, aut decies ſuccus ille Aloe ſuperinfundatur, quod odore cognoſcitur. *Error multorum.*

Pilulæ

Pilulæ è Colocynthide Galeni lib. 1. de Comp. Medic. secundum locos capit. 1. vel de Quattuor rebus, à vulgo Sanctæ dictæ.

℞. Colocynthidis vnc. j. vel partem vnam.
Aloes,
Scammonii ana vnc. ij. vel partes duas.
Succi Absinthii partem vnam.
Ingred. iiij.

Fiat massa. *Antea vero & Mastichen Chiam, & Bdellium adieci, hoc enim modo Quintus vtebatur. Verum propter quid illa reiecerim, alio sermone explicabitur.* Hæc Gal. Omnia illa per se terantur, & succi Absinthii conuenienti quantitate excipiantur; vel succo Brassicæ in vnum cogantur, vt cap. 9. Ab his patet non necessarium esse semper castigatũ esse Scãmonium; & Colocynthidem lentis, & viscidis, vt sunt Mastix, & Bdellium, sed satis esse illis permistum esse aliquid ventriculum roborans, vt Absinthii succus. Discant Medici Recentiores admodum timidi

Error multorum Medicorum & Seplasi.

Error Medicorum.

timidi vti huiuſmodi medicamẽtis, ſi cu-
piunt chronicos, & rebelles debellare morbos, quod etiam patefecit li. 5. Meth. cap. 14. dicens: *Pilulæ, quæ ex Scammonio, Colocynthide, Agarico, Bdellio, & Gummi Arabico conficiuntur.* Sanè ſatiſ-faciunt ad vſum, quæ ſine Gummi componuntur.

Pilulæ ex Colocynthide Meſue.

℞. Colocynthidos dr. vj.
Myrobalan. Nigrarum,
Citrinarum,
Sagapeni,
Bdellii,
Sarcocollæ ana dr. v.
Aloes drach. vij.
Nigellæ, id eſt, Melanthii,
Cumini,
Origani,
Naſturtii,
Salis gemmæ,
Abſinthii Romani, .i. communis
ana drach. j. *Ingr. xiiij.*

Infunde Lacrymas in aqua Porri, & finge maſſam. Meſ. Ridiculum eſſet pro Colocynthide ab aliquo vſurpari Trociſcos Alhandal, cum Myrobalani, Sagapenum, *Error multorum.*

penum, Bdellium, Sarcocolla, & fere cetera alia illam corrigant, & quædam horum adiuuent illam.

Pilulæ Bechicæ Rhasis.

℞. Succi Glycyrrhizæ,
Amyli,
Tragacanthi,
Gummi,
Amygdal. dulcium mundatarum
ana vnc. j.
Sacchari albi vnc. iij. *Ingred. vij.*

Cum mucagine seminum Cydoniorum, cum per se trita omnia fuerint, excipiantur.



DE COLLYRIA PARANDI VIA,

Quæ Sief ab Arabibus appellantur,

COMMENTARIVM IX.



OLLYRIA, quæ ab Arabibus Sief dicũtur, ſunt medicamẽta oculis apta, forinſecùs admota, vt ſcribitur 13. Metho. cap. 22. quę in globulos effinguntur narrante Haly vbi de Sief; quod ante ipſum decreuit Galenus lib. 2. per genera cap. 19. dicens: *Inde Paſtilli fingantur, & Collyria tum longitudine, tum craſſitie inæqualia, & refrigerata reponantur.* Attamen ab Arabibus interdum Collyria, ſeu Sief vocantur liquida quædam medicamenta oculis imponenda. Galenus quandoque fortè reſpiciens figuram dixit etiam Collyria illa medicamenta, quæ naribus imponuntur, quoniam Colly-

riorum figuram seruant, quæ oculis aptari solent; quod legitur 3. per loca, cap. 3. sic: *Inde Collyriorum formas effinge, quæ congruam ad ægri nares proportionem habeant.*

Parandi ratio. Illa, è quibus conflantur hæc, ad vnguem læuiganda veniunt, ita vt nihil in se asperi, aut sabulosi contineant, sicuti 12. Meth. cap. 2. Pistillis terantur in cote docente Hip. 4. de victus ratione, textu 123. quod confirmat Gal. 4. de Comp. per loc. cap. 4. dum comminuuntur, aqua irrorentur, teste Actuar. lib. de Comp. Medic. ita: *Collyria ad cotem terimus quibusdam humoribus profluente latice.* Sint lapides quibus læuigantur, durissimi, ne illis aliqua eorum portio admisceatur, quæ post ea iubente Haly subtili sunt traiicienda panno.

Sint omnia Metallica diligentissime abluta, vt lib. Simpl. narratur, vt Cerusa, Plumbum, & similia: sic & Margaritæ, & Cancri, vt Haly.

In fine, si ingrediuntur, addatur Moschus, & Caphura, sicuti Serapio lib. de Antid. cap. 33.

Gummi dissoluantur aliquo liquore, & quæcumque lenta existunt, macerentur, & his in vnum cogãtur; sic & Opium

disso

dissoluatur, & post alia addatur, vt Mes. cap. de Ophthal.

Humor sit aqua pluuia imperāte Paulo lib. 7. cui sententiæ ferè in omnibus subscribit Orib. 3. Synop. & Gal. 4. de Comp. per loca, & Antiquiores aqua pluuia excipiebant. Deinde in globulos formentur, qui sub vmbra exsiccentur, vt Paul. & vasis vitreis reponantur, sicuti Serap. Loco aquæ pluuiæ ad ipsa dissoluenda multi aqua Fœniculi, Euphragiæ, Chelidoniæ, Rosarum, aut Lacte, aut Vino vtuntur; at hoc est Medicorum imperantium munus, & non Pharmacopæorum, vt illi, qui omnino ignorant & naturas Simplicium, & varias morborum differentias, earumque tempora, quibus hæc probantur.

Collyrium album Galeni lib. 4. de Comp. secundum locos, c. 7. quod à nobis laudatur; & Exercitatio circa parandi illud viam.

℞. Cerusæ lotæ drach. viij.
Cadmiæ lotæ, i. Tuthiæ drach. xvj.
Amyli,

Gummi,
Tragacanthi ana drach.iiij.
Opii drach.ij. *Ingred.vij.*

Excipiantur aqua pluuia. Hæc Gal. Cerusa, & Cadmia accuratè sint abluta, vt cap. de Ablut. diximus. Postea diligentissimè detrita, & in cote læuigata, & subtili panno transmissa. Sic Amylum, Tragacanthum, & Gummi, cuius aliqua portio aqua pluuia, qua excipere trita Seplasiarii debent, maceretur, & coletur, Opium aqua pluuia dissoluatur, quod postquam omnia fuere cum sedulitate permista, addatur, & commisceatur. Efformentur Collyria paruula, sub vmbra exsiccentur, & vase vitreo recondantur.

Sief album Rhasis 9. ad Almansor. cap. de Ophthalmia, quod est in vsu.

℞. Cerusæ ablutæ drach.x.
Sarcocollæ drach.iij.
Tragacanthi drach.j.
Opii drach.ß. *Ingred.iiij.*
Globuli fiant ex his formæ Lenti similes, vt est artis

Colly-

Collyrium ex Thure Galeni libro supra citato desumptum.

℞. Cadmiæ, i. Tuthiæ lotæ drach. x.
Thuris drach. xx.
Cerusæ lotæ drach, xxxx.
Opii
Gummi ana drach. vj.
Aqua pluuiali excipito. *Ingred. vj.*

Sief de Plumbo Mes. & Rhasis.

℞. Plumbi adusti,
Antimonii,
Cadmiæ ablutæ, i. Tuthiæ,
Viridis Æris adusti,
Gummi,
Tragacanthi ana drach. viij.
Opii drach. ß. *Ingred. viij.*

Excipiantur aqua pluuia, sed prius terantur, & cum panno sericino, qui sit subtilissimus, transmittantur; iam diximus Metallica omnia accurate esse abluenda.

Sief è Fellibus Rhasis.

℞. Fellis Gruis,

Hirci ana drach.j.ß.
Fellis Accipitris,
Aquilæ,
Perdicis,
Lupi fluuiatilis à vulgo Lucii ana drach.j.ß.
Euphorbii,
Colocynthid.
Serapini ana drach.j. *Ingred.x.*

Succo Fœniculi excipiantur. At si omnia hæc Fellium genera non inueniantur, sumatur eadem quantitas illorum, quæ inueniuntur. Aliqui vituperant Euphorbium, vt medicamentum admodum mordax.

Collyrium è Rosis Mesue in Practica.

℞. Foliorum Rosarum drach.xv.
Croci,
Gummi Arabici ana drach.viij.
Spicæ Indæ,
Opii ana drach.ij. *Ingred.vj.*

Aqua pluuia excipiantur. Ferè est illa descriptio Collyrii Diarhodon Galeni lib.5. de Comp. secundum loc.cap.1.quæ est

℞.Ro

℞.Rosarum drach. iiij.
Croci drach.j.
Acaciæ drach.j.
Opii,
Nardi Indicæ ana scrip.j.
Gummi Arabi drach.iij.ß.
Vniantur aqua pluuiali, in qua dissoluantur Acacia, Opium, & aliqua portio Gummi.

Collyrium è Cornu Ceruino à Galeno descriptum 4.per loc.cap.6.

℞.Cornu Ceruini vsti,& loti drach.iiij.
Plumbi vsti,& loti,
Thuris ana drach.iiij.
Squamæ æris lotæ dr.ij.
Opii drach.j.
Gummi drach.iiij.
Excipe aqua pluuiali. *Ingred.vij.*

Collyrium Aromaticum Croceum ex Hæmatite Heraclidæ, referente Gal. lib. 4.per loc.c.7. Aliqui Rubeum dicunt,quod laudatur à nobis.

℞.Æris vsti,& loti drach.xlviij.

Cadmiæ, i. Tuthiæ,
Croci,
Lapidis Hæmatitis ana drach. xxiiij.
Opii,
Myrrhæ,
Piperis albi ana drach. xij.
Gummi drach. xxiiij. *Ingred. ix.*
Vino Falerno excipito.

Collyrium Viride Mesue in Practica.

℞. Æruginis æris drach. iij.
Chalcanthi vsti, i. Vitrioli loco eius drach. vj.
Auripigmenti,
Spumæ Nitri loco eius vulgaris,
Spumæ Maris ana drach. j.
Ammoniaci drach. j. ß.
Salis Ammoniaci drach. ß.

Ammoniacum maceretur in aqua Rutæ, qua alia excipiantur.

DE

DE PARANDI OLEA VERA METHODO

COMMENTARIVM X.



NTEQVAM ad Oleorum confectionem, atque structuram deueniamus: Primò quot dotes optimi exstent Olei proponendæ veniunt: Postea de eorum differentiis agendum; & denique quo pacto conficiantur Oleorum varia genera, pertractandum.

Quid Oleum, & quale sit seligendum, eius differentiæ, & quomodo purgandum. Cap. I.

Oleum re vera dicitur illud, quod ex Oliuis fit, alia per translationem, & abusum vocantur; fructus enim ex quo fit, Oliua, & Arbor Olea appellatur: hæc litteris tradidit Galenus 2. Simpl. c. 7. Olea omnia *Oleum quale eligendũ.*

mnia Theophrastus lib. 1. de historia Plāt. c. 19. inter Succos enumerauit: *Optimum est illud, quod dulcissimum, purum, quod tenue, quod intuenti translucidum, cuius modicum latissimè per cutem extensum maneat sibi continuum, & celeriter ab ipsa combibatur. Omphacinum, quod Omotrides nuncupant, est adstringens, cognoscitur gustu, quod quantum habet adstrictionis, tantum habet frigiditatis. Oleum autem vetus calidius.* Hæc 6. Simplic. facult. cap. de Oleo. *At Oleum non quocumque tempore optimum existit; cum enim omnibus in succis geminū insit excrementum, alterum crassius, & alterum tenuius, quæ ad concoctionem, & separationem tempus expostulant; id quod crassius, & residet in Oleo, dicitur Amurca; alterum verò est tenuius, & rufi coloris: vbi autem hoc excrementum separatum fuerit, candidius, & calidius efficitur, & minimè mordax. Separatur autem multis modis. Aut enim in Sole feruenti latioris vasculo Olei pleno deposito, Chonchis in altum sublatis: subinde id cum strepitu desuper conturbant: aut calidos vasculis Oleum continentibus cineres subijciunt, Solarem quàm fieri possit maximè calorem imitari: & nos quidem persæpe Oleum huiusmodi bibendum nonnullis exhibuimus, & nos sumsimus;*

mus; prorsum nullam intestinis mordacitatem attulit gutturi minimè, nec oculis infusum. Hæc 2. de facult. Simpl. cap. 17. & 18.

Olei, vt iam diximus, duplex est species; vnum, quod ab Oliuis maturis exprimitur, à Mesue Completum dictum; alterum, quod ab acerbis, & immaturis, quod Omphacinum à Recentioribus nuncupatur.

Sunt præterea alia Oleorum genera, quæ per translationem, & abusum Olea dicuntur, quorum meminit Gal. 6. Simpl. vbi de Oleo. Talia exstant Oleum Cicinum, quod ex fructu Ricini, Raphaninũ, Sesaminum, Amygdalinum, Sinapinum, Lentiscinum, Laurinum, Melanthinum, Terebinthinum, Mastichinũ, Myrtinum, Balaninum, Hyoscyaminum, & alia ex fructibus expressa.

Seruantur Olea vsquequo rancida euadant, si Serapionem sequi volumus, aut vsquequo odorem amittant proprium.

De varijs conficiendi Olea generibus à Mesue Distinctione duodecima propositis.

Cap. II.

Instituit Mesue ille Pharmacopæorũ sedu-

ſedulus Pater multiformes Oleum faciendi, ac parandi modos, dicens: *Oleum multis fit modis, aut Expreſſione, aut Impreſſione, aut Reſolutione.* De his omnibus à nobis diligenter tanti viri veſtigia hoc ordine ſeruato ſequentes ſermonem habebimus.

De Oleis, quæ Expreſſione fiunt, & primum de Amygdalino, cuius exemplo cetera talia parantur.
Cap. III.

Oleum ab omnibus illis, quę pinguem naturam in ſe continent, exprimi poteſt, ſiue ſint Semina, ſiue Fructus, in quo eliciendo hic ſeruandus eſt ordo ab Olei Amygdalini conficiendi exemplo deſumptus, duce tamen Meſue.

Si magna ſint Semina, vel Fructus, aut Baccæ, vt Amygdalæ à cortice lignoſo, & à cute mundentur, & purgentur, dummodo inuolucra illa tenuiſſima admodum non exiſtant, hoc aſſequitur, aut cultro, aut feruentiſſima aqua ſuperinfuſa.

Deinde plurimùm in vaſe lapideo terantur, & in Offas cogantur, & horis circiter

citer quinque loco calido contineantur, vel vaſe duplici hora vna coquantur, aut ſub calente arena, aut cinere ſacculo inuolutæ.

Poſtea rurſus terantur, & torculari exprimantur ſacculo concluſæ. Vel tritæ Amygdalæ in vaſe quomodo Maza, id eſt Panis ex farina ſubigantur in aere calido, pauca calida identidem affuſa. Hæc Meſue. Dioſcorides lib. 1. c. 39. vltimum modum probat.

Si verò parua ſunt Semina, & exigua, & cortice euidenti priuata fuerint, terantur in vaſe lapideo, & cetera in conficiendo Oleo ſeruentur, quæ iam diximus, excepto tamen Seſami ſemine, quod priùs modicè aſſandum, & excoriandum, vt faciliùs Oleum eliciatur. *Oleum ex Seſami ſemine*

Baccæ verò, vt Lauri, primò teruntur, & in aqua coquuntur; ſi quidem ex obducto cortice quandam pinguedinem reddunt, quæ manibus expreſſa concha excipitur, & deinde ſeruatur. Hæc Dioſcor. *E Baccis.*

Oleum Amygdalarum Amararum Dioſcoridis cap. 39. & Exercitatio.

℞. Amygdalarum amararum quantitatem,

tem, quam desideras.

Repurgentur, & siccentur, & in pila ligneo pistillo leniter tundantur, in Offas cogantur, quibus aqua, quæ ferbuerit, adijciatur, & vbi dimidia hora humorem hauserit, vehementiùs quàm antea tundantur, mox tabellis premantur, & quod digitis hæsit, concha excipiatur. Vel aliis modis paretur, quibus Oleum dulcium Amygdalarum, vt Mesue, & hic modus à Dioscoride narratus à me mirum in modum probatur.

His modis paratur Oleum
E Nucibus,
Auellanis,
Chrysomelis, i. Armeniacis,
Persici Nucleis,
Balaninum, i. ex Behen,
Ricininum, i. è Cherua,
De Cnico, i. è Carthamo,
De Nuce Indica,
De Cerasis,
Ex Seminibus Citri,
De Fisticis, seu Pistaciis,
De Pineorum Nucleis,
De Sem. Papaueris,
Lactucæ,
Cucurbitæ,
Cucumeris,

Melo-

Melonis,
Citreoli,
Et similium.

Oleum Laurinum, vt Mes. & Dioscorides, sic conficitur.

Baccæ Lauri maturæ, & recentes terantur in pila, ex aqua in lebete coquantur, post torculari plano, non cauo exprimãtur in vas subiectum, in quo Oleum aqua supernatans colligitur. Affusa calente aqua iterum terantur, & exprimantur torculari cauato, Zaynari Arabicè dicto, colligatur Oleum, & reponatur. Mesue.

Oleum è Baccis Lentisci, vel Scinci fit vt Laurinum.

Oleum Sesaminum Mesue.

Semen ab excrementis purgatum aqua parùm salsa irrigetur, manibus fricetur: iterum irrigetur, donec madefiat, siccetur, modicè assetur, sacculo aspero multùm, diuq; confricando excorticetur, corticibus expurgetur, molatur in farinam, Oleum exprimatur, vt ex Amygdalis. Ex eodem semine

non

non excorticato, sed assato, & mollito in farinam, Oleum quoque extrahitur. Hæc Mesue.

Oleum è semine Lini eodem paratur modo, sed non excoriantur semina, nec assantur.

Oleum de Vitellis Ouorum, Mesue.

℞. Vitellos Ouorum elixando duratorum nu. xxx.

Manibus disrumpantur, & confricentur, in sartagine terrea vitreata frigantur igni mediocri, mouendo cochleari ligneo, aut terreo, donec rubescant, & Oleum ab his resoluatur, quod pressi cochleari largius remittent. Vel iidem Vitelli elixando indurati mola frangantur, deinde in Offas tundantur, & torculari exprimantur, quod in Oleo Amygdalino explicuimus. Mes. Quinam sunt Seplasiarii, qui sartagine terrea Ouorum Vitellos frigant? re vera nemo: immo omnes ferrea sartagine hoc opus perficere tentant, ignique æstuanti, atque ardenti: quapropter Vitelli non friguntur, sed

Error multorum.

adu-

duruntur humido proprio absumpto, & Oleum incommodum redditur, & colore obscurum.

Oleum de Frumento Mes. & de Sinapi.

Pone Frumentum super laminam ferream, & super ipsum aliam laminam ignitam non multùm, & comprime, & manabit Oleum.

Oleum è Nuce Myristica, id est Moschata.

. Nucum Myristicarum contusarum, & tritarum diligenter, & Vino Aromatico irroratarum lib. iiij.
Incalescant vase aqua calida detento, deinde prælo fortiter exprimantur.

De Oleis, quæ per impressionem conficiuntur. Cap. IIII.

Per impressionem Olea parantur, cum

materię in ipso maceratę, & incoctę qualitatem suam, & vires in ipso relinquunt, si credendum est Mes. quæ quidem vires, ac facultates vi caloris in actum erumpũt, & in Oleũ diffundũtur, quod est tãquam materia accõmodata ad ipsas suscipiẽdas: Pro cuiuscumq; enim iniectorum natura Oleũ variari cõtingit, teste Gal. 6. Simp. c. de Oleo. Quæ quidem interdũ soli Oleo iniciuntur; interdũ sociam habent aut Aquam, aut Vinum, aut Succum, aut Decoctum, aut Infusum, aut aliud simile fluidum tamen, ac liquidum.

Quæ soli Oleo imponuntur, ac decoquuntur, priùs in illo macerentur, vt 4. de sanit. tuenda cap. 8. scribitur, si Flores sint vnciæ quattuor, & Olei decem, si exemplum sumere volumus ab Oleo Ciprino à Mesue descripto, in Florum autem penuria, ipso iubente, Folia cum modico Vino bis mutata coqui possunt in eadem Olei mensura. *Quod si perfectius ipsum reddere optas, prioribus siue Floribus, siue Folijs, eiectis noua inyciantur; mox iterum exacto triduo alia merguntur, & ter hoc opus obeundum, deinde colentur, & exprimantur.* Hæc Actuar. lib. de Comp. Med. sic & Diosc. Priùs tamen Flores, siue Folia confrangantur.

ille: vel ab ipsis, Rhasi imperante in A... d. succus exprimatur. At si Semina, con... ndantur, vt Gal. 4. de sanit. tuenda.

Si socium aliquem liquorem habeat ...leum, & alia Simplicia, siue sit Vinum, ...e Aqua, siue Decoctum, siue Infusum; ...mplicia illa contusa, diuulsa, & dilace... ta in talibus liquoribus macerentur per ...em, & noctẽ, vt Haly, quia plurimũ ta... arida existunt, deinde coquantur, vel... i Paul. lib. 7. sit quantitas liquoris, ...anta omnia operire potest, iubente ...aly lib. 10. cap. 3. At si liquor tantùm, aut ...ccus ingrediatur, Mesue, vt plurimum ...qualem quantitatem liquoris & Olei ...ponit, vt in Oleo de Cucumere silue... ...ri, de Pomis Mandragoræ, & Costino; ...on rarò maiorem, vel minorem pro ...uersitate naturæ Simplicium, quæ O... ...a recipiunt. Dura enim, vt Radices, ma... ...rem copiam liquoris expostulãt, quàm ...lia, & Folia quàm Flores, vt plurimùm ...quor. Gal. lib. 4. de san. tuen. cap. 8. ...um de Oleis, quibus Semina, aut Flo... ...s macerantur, hæc: *Nonnulli diu ma... ...rari tum Flores, tum Semina non ferentes: ...rtim ea percoquere in Oleo coguntur; par... ...m Aquam inijcere, vt qui cautiores sunt, ... torreãtur iniecta, & hi qui curiosi, duplici*

vase coquunt. Porrò sufficit tantulum Aquæ, aut Vini admiscere, quantum coquendo totum euanescat. Modus erit si quadruplum, aut quintuplum Oleum sit. Sed Gal. hoc in loco, nec de Radicibus, nec Lignis, nec Fructibus, quæ omnia maiori coctura indigent, verba fecit: nisi dicamus longam macerationem supplere defectū coctionis, quod rationi est consonum. Quot exstant Seplasiarii, qui sine aliqua maceratione, sineque aliquo liquore Flores in Oleum iniiciunt? vel Herbæ, & omnia ardenti igni coquunt, vel potiùs, vt dixit Gal. adurunt? quapropter Olea imperfecta, inualida, & manca cum ægrotantium pernicie redduntur. Si igitur aliqua in Olei compositione quantitas liquoris non sit à Medico præfixa, sit tanta quanta ea operire possit, vel vt Mes. cap. de Oleo Costino, quāta sufficit ad infundendum Simplicia, quæ in illa contusa, dilacerata, & fracta macerentur per diem & noctem. Postea bulliant lento igne vase vitreato, aut stanno illito, vel duplici vase, quod melius erit, si diligenter Pharmacopæi parare student, vt Gal. vsque quo liquor omnino fuerit cōsumptus; hic enim est terminus ab omnibus Scriptoribus institutus: deinde colentur, & exprimantu

Error multorum.

nantur imperante Dioſcor. & Galen. 4.
e ſanit. tuen. à quorum ſentẽtia non diſ-
edunt Auic. Haly, Serap. & Actuar.

Cui expreſſo, ſi à Medico ſit decretum,
ddatur Ladanum, Vino liquatum, do-
ente Serap. in Antid. & diligẽter miſcea-
ur; quod intelligendum venit de aliis, vt
Moſcho, & ſimilibus, vt de Euphorbio,
uòd optimè tritum poſt omnia addit
Meſue in Oleo de Euphorbio.

Multa autem Oleorum genera ignis ca-
ore non decoquuntur, ſed Soli expoſita
arantur, vt illa, quæ ex Floribus, aut Her-
is nullo liquore addito conficiuntur. Vt
lurimum hæc per curriculũ quadragin-
a dierũ Soli exponuntur, vt Auic. lib. 5.
Meſ. & Paul. Galenus autẽ 4. de ſanit. tuẽ.
. 8. hæc: *Nos autem per tres, quattuor, plu-*
es ve menſas macerare permiſimus, & poſt-
a linteo percolauimus. Et ſubdit: *Si Flo-*
em contritum in Oleũ inijcias, & quotidie
edicamentũ dimouebis, idque potiſſimùm,
ùm Sol ferbuerit, & in domo calida reponas,
elerius facultas in Oleũ migrabit. Poſt bi-
os ternosve menſes Flore expreſſo Oleum
abere potes. Vas ſit vitreum linteolo coo-
ertũ, dum eſt ſub Sole, vt Actuar. ſit ſim-
lex, & rarum, vt tranſpiret, ſicuti Paul.
b. 7. c. 20. At pauci Pharmacopæi hæc à

Scriptoribus instituta agunt.

Olei Rosati Completi descriptio à Mesue tradita.

℞. *Foliorum Rosarum recentium, & completarum, scilicet apertarum, quantitatem sufficiẽtem, Oleo ex Oliuis, vel Sesamino recenti, & aqua fontana aliquoties loto, & macera in vase vitreo, dieb. septẽ insola: coq. trib. horis in vase duplici. Expressis folijs, & abiectis noua impone: insola iterum dies septẽ: coque, vt prius: tertio idem fiat. Deinde aquæ Infusionis Rosarum dictæ in Syrupis quantum est Oleum, misce; opercula, insola dies quadraginta; post excola, & iterum diu insola.* Mes.

Modus abluendi vbi de Ablut.

Sint folia pro qualibet libra Olei ad põdus sex vnciarum, vel quinque saltem. At Dioscoridis tempore in lib. Olei j. ß. libram mediam Rosarum imponebãt. Sint folia exungulata iubente Dioscoride; fit enim Oleum validius: portio enim illa alba incocta existit, & vim adstrictoriam in se continet. Sed dicant mihi quæso Seplasiæ, quisnam est illorum, qui hæc omnia agat? quis enim Oleum abluit? quis ter Rosas immutat? quis decoquit illa

Error, seu potius Seplasiariorum auaritia.

dipio

diplomate; quis Infusionem addit? Dij immortales, quid impius, & iniquius quàm ægrotantium afflictorum, & dolore acerrimo, ac ardenti inflammatione excruciatorum sanitatem impedire; immo & sæpe affectus illos augere? ab acri enim Oleo minimè abluto, & à pauca Rosarum quantitate, quæ semel immergunt, & in ipso macerant, Oleum imperfectum euadit: at si forte fortuna ter Rosas nouas in Oleum iniiciunt, Completum vocant: si vnica vice, Simplex dicunt, spernentes Mes. decreta. Arbitror tamen aliquem probum virum adinueniri illius mandata seruantem.

Oleum Rosatum Omphacinum, quod Rude à Mesue dicitur.

Hoc ex Oleo Oliuarum immaturarum, & folijs Rosarum nondum apertarum conficitur. Hæc Mes. Arbitror ego à paucissimis componi hoc Olei genus ad autoris mentem. Pro immaturo enim ignauia potiùs, quàm auaritia ducti maturum sumunt Oleum. *Error aliquorum.*

Oleum Chamæmælinum,

Anethinum.
Sambucinum.
Leucoii Lutei, ſcilicet Keirinum.
Liliorum, ſed Croceum abiiciatur.
De Meliloto.
Violatum.
De Papaueris capitibus, & foliis, & floribus.
De foliis Lactucæ.
De florib. Nimpheę, ſ. Nenupharis.

Hæc omnia parantur, teſte Meſue, vt Roſatum, quod tamen à nullo Seplaſiario ſeruatur, ſed ſatis eſt illis aut Flores, aut Simplicium folia in Oleum iniicere, & nulla facta illorum noua mutatione per ſpatium dierum quadraginta, quod tamen rarò euenit, inſolare; deinde exprimere illa, at non confeſtim poſt inſolationem, ſed quotieſcumque appetitus illos excitabit; quapropter nō rarò maximum detrimentum patiuntur, potiſſimum ſi Simplicium humiditas à Sole exquiſitè nō fuerit conſumpta; ſæpe enim in imo vaſis aquoſitas aliqua manet: & ideo Galenus 4. de ſanit. tuen. c. 1. imperat quotidie Oleum miſceri, cum Sol ferbuerit, vt talis humor abſumatur, quod à Pharmacopæis minimè in vſu habetur.

Error, vel auaritia Seplaſiar.

Error ſecundus.

Error tertius.

Hoc

Hoc pacto etiam parantur quæcumque Olea, & Herbarum, & Florum, vt

Florum Hyperi.

Comarum Abſinthii.

Iaſminũ, quod à multis Sambucinũ.

Menthæ.

Portulacæ.

Momordicæ, à vulgo Caranzæ.

Nerei, à vulgo Leandri.

Et ſimilium.

Sic ex Formicis alatis.

Oleum Liliorum compoſitum Meſ. & Exercitatio circa ipſum parandum.

℞. Foliorum Lilii, ſcilicet albi, abiecta parte crocea vnc. viij.

Maſtiches,

Calami Aromat. ana vnc. j. ß.

Coſti,

Carpobalſami, Cubebæ eius loco ana vnc. j. ß.

Croci drach. iij.

Aquæ q. s.

Omnia pręter Liliorum folia aqua ſufficienti vigintiquattuor horis macerētur, ſemel, aut bis ferueant, tunc adde

Olei

Olei dulcis, aut Sesamini lib.ij. *Ing.vij.*

Additis Lilij floribus, in vase vitreo insola dies quadraginta, coletur postea, & seruetur.

Oleum Irinum, vel è floribus Ireos, Mes.

℞. Radicum Ireos lib.j.
Florum eiusdem lib.ij.
Aquæ, cui incoctæ sunt aliæ Ireos Radices, quamtitatem sufficientem, vt sunt lib.vij.
Olei Sesamini, vel dulcis q.s. scilicet octo lib.
In vase duplici coque, & Radices, & Folia noua immitte prioribus expressis, & abiectis, vt in Oleo Rosato Mesue.
Ingred.v.

Oleum Melinum, seu de Cydonijs Mesue, & circa ipsum Exercitatio.

℞. Carnium Cydoniorum, non perfectè maturorum cum cortice tritorum,
Succi eorum ana portiones æquales.
Olei

Olei Omphacini sufficientem quantitatem. *Ingred. iij.*

Vase vitreo diebus quindecim insolentur, deinde horis quattuor coquantur duplici vase, caro Cydoniorum, & succus mutetur, (eadem scilicet quantitate) rursum insolentur, & coquantur, vt diximus bis, aut ter, postremò colata reconde. Mesue.

Cydonia à lanugine illa diligenter detergantur, & seminibus purgentur, vt Paul. aliqua quorum portio trituretur, & ab alia succus eliciatur. Sint succi libræ exempli gratia quattuor, & Olei sex; si vigorosius desideras æqualem portionem Succi, & Olei impone. etiamsi Mes. bis, aut ter, & Succum, & Carnem immutet. A paucis Pharmacopæis sic paratur ob eorum & ignauiam, & auaritiam. *Error aliquorum.*

Oleum Myrtinum Mesue fit vt Melinum, & Enulatum, & Rutaceum, vt Myrtinum.

Oleum Myrtinum, quod est in vsu.

℞. Baccarum Myrti lib. j.
Olei lib. iiij.

Vini

Vini lib.ij. *Ingred.iij.*

Bulliant duplici vaſe ad Vini conſumptionem, in quo recentes Baccæ priùs cõtuſæ per diẽ, & noctẽ macerentur. Quot ſunt, qui vaſe duplici hoc non coquunt?

Error multorum.

Oleum è Pomis Mandragoræ Meſue.

℞. Succi Pomorum Mandragoræ maturorum,
Olei Seſamini ana lib.ij. *Ingred.ij.*

Coquantur duplici vaſe ad Succi conſumptionem, quod ter faciendum, & reconde. Meſ.

Oleum de Spica Meſ. quod eſt nobis frequens.

℞. Spicæ Nardi vnc.iij.
Vini,
Aquæ ana vnc.ij.ß.
Olei Seſamini lib.ß. *Ingred.iiij.*

Coquãtur in vaſe duplici lẽto igne, horis circiter quatuor ſemper mouẽdo. Meſ. Supponit me iudice Spicam in Vino, & Aqua

Aqua fuisse per diem maceratam.

Oleum Mastichinum Mesue.

℞ Masticheѕ vnc.iij.
Olei Sesamini Kist. j. scilicet vnc.xviij. secundum Serap. at si est Sextarium vnc xvj. ß. *Ingred.ij.*
Coque in vase duplici, Mastiche confracta.

Aliud, quod est magis in vsu.

℞. Mastiches vnc.iij.
Vini vnc.viij.
Olei Rosati lib.j. *Ingred.iij.*

Duplici coquantur vase ad Vini consumptionem. Mes. Nonnulli, vt semper Mes. carpant, affirmant meliùs fecisse, si pro Oleo Sesamino Omphacinum admiscuisset: ignorāt hi, vel non legerūt, Oleū Mastichinū tumores duros lenire, ipsum affirmasse. At hoc non est Seplasiarii munus: at benè est eorum onus Oleo Sesamino vti ad multa Olea conficienda, quod

Error aliquorum.

Error multorum.

quod ab ipsis non seruatur.

Oleum de Styrace Mesue.

℞. Styracis vnc.iij. vel iiij. si valentius.
Olei Sesamini lib.j. *Ingred.ij.*
Diplomate, scilicet duplici vase coquãtur, & colentur, Mes.

Oleum Costinum Mesue.

℞ Costi amari, in eius def. Pyrethri v.ij.
Casiæ vnc.j.
Suffumigatum Sampsuchi, i. Maioranæ vnc. viij.
Vini odori quantitatem idoneam.
Olei Sasamini lib.iij. *Ingred.v.*

Infundantur biduo illa in Vino, deinde cum Oleo sex horis coquantur duplici in vase, vt Nardinum. Mesue.

Oleum Cyprinum, vel de Alchanna Mes.

℞. Florum Cyperi, multi dicunt Ligustri vnc.iiij.

Olei

Olei veteris vnc.x. *Ingred.ij.*

Fit vt Rosatum, in florum penuria folia cũ modico Vino bis mutata coqui possunt in dicta Olei mensura. Mes.

Oleum Sampsuchinum fit vt Myrtinum Mes.

Oleum ex Thymelea, vel Mezereon Mes.

℞. Foliorum Mezereon vnc.iiij.
Lactis recentis, & dulcis vnc.vj.
Olei Sesamini vnc.viij.
Aquæ lib.j. *Ingred.iiij.*

Folia vigintiquartuor horis aqua macerentur; postea coquantur in Oleo, & Lacte, ad Aquæ, & Lactis consumptionem. Mes.

Oleum de Cucumere agresti, siue Sycionion Mes.

℞. Olei Sesamini,
Succi Cucumeris agrestis ana lib. j.
Ingred.ij.

Coquan-

Coquantur ad ſucci conſumptionem. Quis Seſaminum Oleum imponit? dicat mihi quæſo.

Error multorum.

Oleum Croci Meſue.

℞. Croci vnc.j.
Myrrhæ puræ vnc.ß.
Cordumeni, id eſt Cardamomi, aliqui Carui ſilueſtris vnc.ix.
Olei lib.j.ß.
Aceti quantum ſufficit, vel Vini. *Ing.v.*

Infundantur, atque macerentur quinque diebus Crocus, & Myrrha in Aceto; die ſexto toto Cardamomum ſimul macera; ſeptimo cum Oleo coquantur igni lento ad conſumptionem Aceti. Meſ.

Oleum ex Piperibus Meſue.

℞. Trium Piperum ana vnc.iij.
Myrobal. Cepularum, id eſt Cheb.
Bellericarum,
Emblicarum,
Indarum ana drach.v.
Radicum Apii,

Fœni-

Fœniculi ana dr. iij. ß.
Sagapeni,
Opoponacis,
Hyoscyami albi, aliqui Ammoniaci, quod melius, ana dr. ij. ß.
Turpeti boni, & albi dr. xij.
Zingiberis dr. iij.
Summitatum Thymi recentis, aliqui Hyssopi,
Foliorum Rutæ virentium ana M. j.
Aquæ lib. xxiiij.
Olei Cicini, id est, de Cherua heminas ij. s. vn. xv.

Omnia parum trita in aqua coquantur ad tertiam partem, colentur, & cum Oleo bulliant ad aquæ euaporationem. Addunt aliqui

Ireos drach. vj.
Thapsiæ dr. ij.
Anisi,
Cardamomi an. dr. j. ß.
Calami Aromatici dr. ij. ß
Spicæ Nardi dr. j.
Expressionis Hyssopi, vel Thymi sextar. tres, scilicet lib. iiij. ß.

Ingred. xxv.

Potest poni loco Olei Cicini, Oleum

Irinum, vel Leucoii lutei, vel Amygdalarum amararum. Mes. Recentiores ipsum parantes non Piperum trium vn. tres ponunt, sed drachmas tres, Turpethi non duodecim drachmas, sed duas, & expressionis tertiam partem vnius sextarii, quæ aduersantur Scriptoris placitis.

Errores multorum.

Oleum ex Euphorbio Mesue quod est in vsu.

℞. Euphorbii vnc. ß.
Olei Leucoii lutei,
Vini odorati an. vnc. v. *Ingred. ii*
Coquantur ad vini consumptionem.

Oleum idem vigorosius Mesue; & parandi modus.

℞. Staphidos Agriæ,
Strutii, scilicet Condisi ana vnc. ſ
Pyrethri drach. vj.
Succi Calaminthes montanæ, sci
Nepitæ vnc. j. ß.
Costi, Gentianæ eius loco, dr. x.
Castorei drach. v.
Vini odori lib. iij. ß.

Euphor

Euphorbii drach. iiij.
Olei Leucoii lutei, vel Sesamini libr. j. ß. *Ingred. ix.*

Trita triduo macerentur in Vino, co-
antur ad dimidium, deinde frica mul-
tum, & diu manibus cola, cum Oleo
rcoque ad Vini reliqui consumptio-
em, tunc insperge Euphorbium recens,
album tenuissime tritum, & miscendo
oque. Mes. Possunt ne Pharmacopœi
ligentiorem modum tale Oleum pa-
ndi desiderare? qui vt ingredientium
nceriorem substantiam, atque tenuio-
em in Oleum migret, multum, & diu, ea
icare manibus iubet, antequam deco-
um Oleo admisceatur.

Oleum Vulpinum Mesuæ.

℞. Vulpem vnam exteteratam tantum,
Aquæ Fontanæ,
Marinæ an. sext. j. id est, vn. xviij. dr. ij. script. ij.
Olei antiqui, & clari sext. ij. ß. id est, vnc. xlj. ß. dr. j. script. j.
Salis vnc. iij. *Ingred. vij.*

Coquantur hæc omnia simul ad aquæ

consumptionem, & Vulpis artuum di
solutionem; postea aquam dulcem, c
Hyssopi, & Anethi Herbarum ana M.
in coctus fuerit, affunde vasi, & cum d
ctarum Herbarum libra vna, recoque
huius aquæ consumptionē. Mes. Sit Vu
pes boni habitus, ætatis mediæ, & vnis
ptime nutrita, cuius ossa frangantur,
disrumpantur.

Oleum ex Viperis.

℞. Viperarum nigrarum, integraru
lib. ij.
Olei Sesamini sext. j. ß. sc. vnc. xx
circiter. *Ingred.*

Coquantur lento igni in vase terre
vitreato, angusti oris, exacte obturato, n
illius noxio vapore offendaris, deinde v
treo vase recondatur. Mes. Non pau
aduersantes autoris placitis, imperant c
Error aliquorum. put, & caudam abscindenda esse; at ille in
tegras assumere iubet.

Oleum ex Scorpionibus Mesue, quod
Simplex dicitur.

℞. Scorpiones xx. Ol

Olei Amygdalarum amararum lib.ij.
Insolentur mense vno in vase vitreo
be obstructo. *Ingred. ij.*

Oleum ex Scorpionibus efficacius Mes. quod Compositum vocatur, quod sit in vsu.

Aristolochiæ rotundæ vnc.j.
Gentianæ,
Cyperi,
Corticum radicum Capparis ana vnc.j.
Olei Amygdal. amararum sext.j.i. vnc.xvj.dr.j.script.j. *Ingred.vj.*

Diebus viginti insolẽtur in vase vitreo,
rculato, deinde Scorpiones à decem
iginti Oleo iniice, obtura, insola ite-
n mense vno. Mes.

um è Scorpionibus Matheoli, quod aliqui putant adinuentum fuisse à Gregorio Carauita eius præceptore.

I.

Olei antiquissimi, vt centum annorum, sin minus vetustissimi lib.iij.

Foliorum Hyperici recentis M. iij.

Oleum ponatur in vitreo vase, cui inijciantur Hyperici folia contusa crassiusculе, macerentur decem, aut duodecim diebus sub Sole, quo tempore in subtilissima arena sit vas semisepultum, & obturatum, tali loco, vt tota die insolari possit, deinde in balneo Mariæ toto vno die collocetur, & exprimatur.

II.

Postea addatur Hyperici,
Chamedrii,
Calaminthes,
Cardui Sancti ana M. j.

Hæc terantur, & macerentur dicto iam Oleo triduo, in balneo vase existente, postea exprimantur, & colentur.

III.

Cui adde florum Hyperici à foliis, & fustibus purgati M. iij.

Tribus diebus in balneo macerentur, postea exprimantur, & colentur, quoter reiterandum venit, vsquequo Oleum sanguinis purpurei referat colorem; deinde infundantur dicto Oleo.

Summ

IV.

Summitatum Hyperici recentis seminibus prædici contusarum, & Vino albo irroratarum M. iij.

Et insolentur octo diebus, vt iam di-
mus, & per tres dies balneo detinean-
r, exprimantur, & per colum traiician-
r, quod ter, aut quater agendum venit.
is actis adde

V.

Scordei recentis,
Calaminthes,
Centaurii minoris,
Cardui Sancti,
Berbenæ, vel Herbæ Sacræ, aut Verbenacæ,
Dictamni Cretici ana M. ß.

Quæ omnia sint trita, duob. dieb. con-
inuis in balneo locentur, deinde expri-
nantur, & colentur; cui iniiciantur hæc
rita

VI.

Zedoariæ,
Rad. Dictamni albi ana dr. iij.
Gentianæ,
Aristolochiæ rotundæ,
Tormentillæ an. dr. iij.
Scordei recentis M. j.

Tribus diebus balneo vas detineatur, colentur, & exprimantur. Colato addantur detrita hæc

VII.

Styracis Calamitæ,
Laſerpitii à Recentioribus Benzoini ana dr. vj.
Baccarum Juniperi dr. iiij.
Melanthii ſcil. Nigellæ drach. iij.
Caſiæ odoræ dr. viij.
Santalorum alb. dr. iiij.
Schænuanthus,
Cyperi ana dr. j. ß.

In balneo triduo ſeruentur, poſtquam detrita erunt illa, colentur & exprimantur; deinde ſumantur.

VIII.

Scorpiones diebus Canicularibus adinuenti numero tercentum.

Qui vitreo vaſe ſatis capaci ponantur, quod ſuper calentes cineres detineatur, donec illi ſudore madeant, & huc, atque illuc moueantur à calore exaſperati, tunc ſuper illos Oleum prædictum iniiciatur calidum, & operculetur, quod in balneo per tres dies ſeruetur, colentur, & exprimantur, & Scorpiones iam cocti reiiciantur; in Expreſſo infundantur.

Rhabar-

IX.

Rhabarbari electi,
Myrrhæ ana drach. iij.
Aloes Hepaticæ dr. iij.
Spicæ Nardi dr. ij.
Croci drach. j.
Theriacæ,
Mithridatii an. dr. iiij. *Ingr. xxxvij.*

Comminuantur arida, & omnia simul nisceantur, & in balneo tribus diebus eruentur; & sic Oleum nec colatum, nec xpressum recondatur.

Oleum ex Ranis Mesue.

℞. Capitum Ranatum antiquarũ lib. ß
Olei Sesamini sext. ß. scil. vnc. viij. circiter. *Ingred. ij.*

In vase vitreo bene obturato coquantur ad capitum dissolutionem, deinde reonatur. Mes.

Oleum è Lumbricis terrestribus, quod est in vsu.

℞. Vermium terrestrium Vino nigro, & vigoroso ablutorum lib. ß.
Olei communis lib. ij.

Vini lib. ß. *Ingred. iij.*

Bulliant duplici vaſe, coletur & ſeruetur.

Oleum de Caſtoreo, quod eſt in vſu.

℞. Caſtorei,
Calbani,
Opoponacis,
Euphorbii ana dr. ij. ß.
Styracis Calamitæ,
Coſti, eius loco Zedoariæ,
Caſiæ,
Croci,
Carpobalſami, Cubebæ eius loco,
Spicæ Nardi,
Cyperi,
Schænuanthus,
Piperis Longi,
Nigri,
Sabinæ,
Pyretri an. dr. ij. ß.
Olei lib. iij.
Vini optimi lib. ij. *Ingr. xviij.*

Terantur terenda, & omnia ſimul macerentur per diem in Vino, coquantur diplomate ad Vini conſumptionem, colentur, & exprimantur.

Oleum

Oleum è Succis Herbarum, quod à vulgo Zanetinum vocatur.

℞. Foliorum Apii,
Rorismarini,
Marrubii, aliqui eius loco herbam Sicilianam,
Millefolii,
Plantaginis,
Absinthii ana M. ij.
Celidoniæ,
Lanceolæ ana M. iiij.
Saluiæ,
Florum Verbasci ana M. iiij.
Florum Calend.
Consolidæ mediæ à vulgo Laurentianæ ana M. vj.
Succi Rutæ vnc. iij.
Olei communis lib. vj.
Terebinthinæ,
Resinæ ana lib. iij.
Chalbani vnc. iij.
Viridis Æris vnc. iiij. *Ingred. xviij.*

Ab Herbis succus extrahatur, & à Floribus qui cum succo Rutæ, & Oleo bulliat ad exhalationem; deinde adde Terebinthinam, & Resinam, & postea Chalbanum

banum dissolutum vase remoto ab igne, & denique florem Æris.

Oleum Hyperici Ioannis à Vigo.

℞. Olei Omphacini vnc. vj.
Mastichini vnc. j.
De Terebinthina dr. vj.
Rosati completi,
Terebinthinæ opt. ana vnc. ij.
Masticħes,
Thuris ana dr. ij.
Myrrhæ,
Aloes Hepaticæ ana dr. iij.
Gummi Elemi,
Colophoniæ .i. Picis Græcæ an. dr. ij. ß.
Succi Hyperici,
Centauri,
Plantaginis,
Caudæ Equinæ ana vnc. j.
Millefolii vnc. ij.
Rad. Tormentillæ,
Dictamni,
Cardui Sancti ana dr. j.
Rubeæ Tinctorum,
Granæ opt. ana drach. iij. ß.
Croci drach. ß.
Vermium terrestrium ablutorum Vino odoro vnc. ij.

Folio-

Foliorum Fraxini,
Radicum eiusdem ana M. ß.
Vini odorati lib. ij. *Ingred. xxvj.*

Terantur crassiuscule terenda, & bulliant ad Vini consumptionem, vigorose exprimantur, vase vitreo ponatur colatum, cui iniiciantur flores, & Semina Hyperici, & aliquantulum Rorisinarini florum, insolentur per curriculum quindecim dierum, immutando iam dicta singula hebdomada.

Aliud, quod est magis in vsu, & dicitur Simplex.

℞. Summitatum Hyperici contusarum vnc. ij.

Macerentur triduo Vini idonea quantitate, bulliant duplici vase, colentur & exprimantur, quod iterum agatur, & colato addantur

Terebinthinæ vnc. iij.
Olei antiqui vnc. vj.
Croci triti script. j. *Ingred. v.*

Coquantur duplici vase ad Vini exhalationem, deinde colentur. Censeo ego paucos adinueniri Seplasiarios, qui hac *Error aliquorum.*

duo

duo genera Oleorum conficiant, sed horum loco forte vti Oleo Hyperici, quod Simplex vocatur per insolationem tantum paratum.

Aliud Oleum Hyperici, quod à vulgo Oleum mulieris Hispanæ vocatur.

℞. Hyperici recentis cum semin. lib. j. & vnc. iiij.
Radicum Phu, à vulgo Valerianæ,
Foliorum Cardui Sancti an. vn. viij.
Tritici recentis lib. ij.
Vini albi generosi q. s.

Macerentur omnia in Vino per decem dies, deinde bulliant ad dimidium. Exprimantur, colentur, & adde

Olei Veteris lib. vj.

Bulliant ad Vini exhalationem, & in fine iniiciantur

Olei Abietini lib. iiij.
Thuris diligenter læuigati vnc. vj.
Ingr. viij.

Misce.

Oleum è Semperuiuo.

℞. Olei Amygd. dulc. aut communis

decies aqua tepida diligenter abluti,
Succi Semperuiui ana lib. j. *Ingr. ij.*

Succus à Foliis exprimatur, colo conuenienti traiiciatur, ita vt depuretur, cum Oleo decoquatur diplomate ad exhalationem.

Sic paratur è foliis Solani
Papaueris,
Hyoſcyami,
Lactucæ,
Cucurbitæ,
Et ſimilium.

Oleum è corticibus Citrii, vel Mali Medici.

℞. Olei Amygdalarum dulcium recentis lib. j.
Corticum extremorũ Citrii vnc. iij.
Vini Aromatici q. s. *Ingr. iij.*

Cortices dilacerati in Vino calido per duos dies macerentur, leuiter bulliant, & exprimantur, quod ter agendum erit, poſtea cum Oleo bulliat expreſſum dupli- ci vaſe ad eius exhalationem.

Hoc modo paratur Oleum
E Caryophyllis,
Nuce Myristica,
Maci,
Cinnamomo,
Et similibus.

Non vnciæ tres horum pro singula Olei libra imponuntur, sed duæ tantum, at si vigorosum exoptas & tres, & quattuor. Aliqui hæc solitaria diligenter terunt, quæ postea cum Amygdalis in mortario lapideo comminuunt Vino odoro irrorantes, & prælo Oleum eliciunt.

De Oleis, quæ fiunt per Resolutionem.

Cap. V.

Fiunt Resolutione Olea, cum materiæ varii generis in corpore conclusa, & veluti concretæ vi caloris separantur, opera præcipuè Chymistarum, de quo opere quantum liceat agemus: plura autem si audire cupis, Chymistas præceptores tibi adhibe, & cum illis versare. Hæc Mes. Duplex autem reperitur modus apud Chymicam artem callentes Oleum vi ignis eliciendi; interdum (?)im per Capitellum sursum tollitur, & hic

c destillandi modus dicitur per Ascen-
m, & Ascensorium: interdum Oleum
ras à mixtis ignis violentia educitur, &
vas subiectum defluit, & hic appellatur
estillandi modus per Descensum, vel De-
ensorium. Mesue nonnulla proponit O-
orum genera; quæ vltimo hoc modo
nficiuntur; etiamsi sparsim quoque de
is agat, quæ per Ascensum parantur, de
ibus nos Commentario duodecimo a-
mus.

Oleum Iuniperi Mesue.

Sarmentis Iuniperi tenuibus vas vitre-
um oris angusti reple, laminam ferri te-
em foraminibus multis in cribri triti-
i modum pertusam ori toti applica, lu-
ita, vt nulla fiat euaporatio, eamdem
m ore tum dicti vasis, tum alterius mi-
ris etiam vitreati Oleum cadens à ma-
ri excepturi; quod terræ vbi infoderis,
ni luculento maius Iuniperi frustula ca-
ens circumda horis duabus, sic Oleum
vas minus destillabit. Hæc Mes.

Eodem modo paratur Oleum
Fraxininum
Ex Gagate,

Ex Ligno Hederæ,
Ex Ligno Indo, Guaiaco dicto,
Ex Genista
Ex Pineis,

Et denique ex omnibus lignis pinguedine aliqua insignitis; sic quoque potest confici ex Baccis quarundam Plantarum.

Inter hæc Olea enumeratur & Oleum è Lateribus, etiamsi sub illis, quæ sublimatione fiunt, contineatur; quod Philosophorum, Benedictum, Sanctum, & Diuinum quidam vocarunt, quod arte sic paratur.

Oleum de Lateribus, seu Philosophorum.

Accēde Lateres ex terra rubente multum antiquatos in frusta comminutos carbonibus non fumantibus, donec igniti rubeant: tunc concha Oleo Rorismarini, vel antiquo claro plena extingue, & quoad fieri potest Oleo imbue: Sicca per se in casulis, post minutissime tere, & vasi per sublimationem destillandum trade, [illegible] Chymistarum capitello committe, [illegible]bonibus in fornace accensis coque,

donec

donec Oleum destillet in Phialam vitream nasi imo capitelli agglutinatam, quam exacte obstructam reconde, & serua: quanto enim antiquius, tanto valentius. Hæc Mes.

Semper ego sumerem antiquatos Lateres, vt autor imperat, & non, sicuti Albuc. nouos; hi enim exsiccandi facultatem summam possident, quæ in antiquis destruitur, aut saltem multum minuitur: inde facilius ad intima permeare potest. Quodlibet frustulum pendeat ad summum vnciam vnam iubente Albucasi. Reperitur naturale, quod Petreoleum vocatur, & ab Antiquis Oleum de Naphtha.



DE UNGUENTA, CERATA, ET EMPLASTRA PRÆPARANDI RECTA RATIONE,

COMMENTARIUM XI.

Quid Ceratum, Vnguentum, & Emplastrum existat.

CAP. I.



ERATUM à Cera nome desumere adaperte pro nunciauit Gal. li. 10. Met c. 9. his verbis: *Cum uti v les, Oleum Rosaceum & C ra liquentur mista in vase duplici, factoq humido Cerato, huiusmodi erit, quod tr plum, aut quadruplum ad Ceram Rosac um habet.* Attamen Ceram non solum i se continent Cerata, sed etiam Vnguent & Emplastra, & si non omnia; quapr pter affirmandum erit hæc tria tantu inter se differre secundum maiorem, a minorem Ceræ quantitatem, quæ hab ...nus li. 3. de Cōp. Med. per gen. c. 4. sic: S

Ceratum quid.

in C

Ceratis minor copia Ceræ Hieme, quam Æstate: At si Unguenta proponis efficere, ...rum Ceræ quadruplum miscebis: At si in ...dum Emplastri, Oleum mensura pari ...ræ miscebis. Et Paul. Ægin. lib. 7. cap. 17. *Vnguina, quæ à Græcis à leuanda lassitu...e Acopa appellantur, conficere constitue...r, Oleum Ceræ quadruplum immittes, si ...dicamentum quod Emplastri figuram ef...re cogitauerimus, portionem Ceræ æqua...e, si Aer frigidus, Oleum copiosius, si ca...us, minus.* Et ideo Orib. 3. Synop. o...nia hæc tria sub vnico nomine compre...ndit: nam in hoc sequutus est Galeni ...stigia, qui 7. per genera, cap. 11. decre... *Emplastrum, & Unguentum consisten...solum inter se differre.* & subdit: *Quare ...nnulli Medicorum nomina à sola consi...ntia desumpta Ceratomalagmata nuncu...runt: quæ non equidem humida, duriti... verò tantam, nec consecuta, quantam ...plastra possident.* Quali duritie, & con...tentia donatum sit Emplastrum patefit ...per loc. cap. 7. his verbis: *Quandoqui...m multi Pharmacorum, quæ illinuntur, ...mpositiones recusant, amantq; magis Em...plastra, vtpote, quæ neque sudoribus obortis ...fluant, neque resiccata cutem circumto...nt.* Ab his omnibus patet Vnguent...

Discrimen inter Cerata, Vng. & Emplast.

quamdam Ceræ portionem continere, Cerata maiorem, & Emplastra plurimam, atque multam, vel aliud loco Ceræ, quod maxime adhæreat, ne diffluant: At multi antiquorum Vnguenta etiam illa medicamenta appellabant, quæ foris admota ex Aromatis, & Oleo cõfecta tantum erant, nulla existente Cera, sicuti Diosc. reliquit scriptũ dicens: *Vnguenta medicamẽtis mista, aut corpori perfusa, quæ odorata existũt.* Sic & Cornel. Celsus qui Malagmata illa dixit. Etiamsi teste Galeno lib. 7. per genera, c. 1. *Malagmata Medici appellent illa, quæ partes præter naturam induratas emolliunt, non tamen exsiccent.* Quod at tamen à Vetustioribus non fuit obseruatum; nam, vt narratur lib. 8. per loc. c. 5 *Asclepiades, & Archigenes omnia pharmaca, quæ foris imponuntur, siue adstringend densent, Emplastra, siue Malagmata appellabant.* Non fuit igitur perpetuo rectu nominum propriorum vsus apud Medicos seruatus, & maxime apud Mes. qui non raro omnibus iam dictis neglecti hæc tria confundit in vnum, ita vt, Emplastra Cerata vocet, Cerata Vnguenta & Vnguenta Emplastra dicat, sicut legentibus hoc euadet manifestum. Sic & Ga lib. 2. ad Glaucon. legitur, Emplastra ap pell

Vnguenta sine Cera quæ.

Malagmata quæ.

Nomen Cerati, Vnguenti, & Emplastri, confunditur à Mesue.

llat quædam, quæ partibus minime ad-
ærent, immo leuissima de causa deci-
ant, sicut illud quòd ex Semperuiuo,
rticibus Malorum Punicorum, & simi-
um conficitur, quæ nec Ceram, nec ali-
d simile recipiunt. Hæc respicientes Re-
ntiores, Emplastra tantum vocant, quæ
Herbis decoctis, contusis, Radicibus,
æpis, Farinis, & Oleis componuntur,
el quæ ex Tritis, Sapa, Vino, Oxymeli-
, & Lixiuio, aliove liquore.

Multa Cerata, aut Emplastra, sed non
æc vltima, ad annum valida conseruan-
r, vt Serapio.

ulta Præcepta vniuersalia proponun-r ad viam Cerata, Vnguenta, & Em-astra parandi attinentia, & præterea aliquæ eorum differentiæ, vt facilio-ri modo Pharmacopæi illa conficere non ignorent.

Cap. II.

Etiamsi multa existant genera Unguē-
rum, Ceratorũ, & Emplastrorum, ma-
me inter se distantia, non solum quo ad
arietatem cōponentium, sed etiam quo
d talem ordinem ea parandi: attamen
æc omnia multis conueniunt, quæ ar-
itror esse numero saltem vndecim.

I. Si Trita instructura istorum recipiantur, sint hæc in subtilissimum puluerem comminuta, & per tenue incerniculum traiecta, Galeni non tantum præceptum li. 10. de comp. Med. per loc. cap. 3. qui in Malagmate Podagricis vtili, arida tusa per angustissimum cribrum traiicere iubet: quod & li. 2. de comp. Medic. per genera, ca. 19. confirmat, & curiose, & optime aliis in locis, sed etiam Damocratis, qui præterea tempus hæc iniiciendi præfixit, vt 7. per genera, circa finem, sic:

Ab igne tollito, læuigatam tunc quoque Aristolochiam insperge, &c.

II. Deposito igitur ab igne vase, vt Actuar. placet, & Paulo, & Mes. pluribus in locis, ita vt quoquomodo tepescant in ipso contenta, vt sunt Olea, Pinguia, Cera, & similia imperante Gal. li. 8. per genera, c. 1. paulatim Trita inspergantur, suasore Haly li. 10. Pract. dummodo hæc Metallica non existant, quæ talia statutis temporibus Oleo, & aliis miscenda sunt, & maxime Lythargiri puluis, quæ semper, si leuissima eius non sit quantitas, inchoante structura, & coctione Emplastri cum Oleo ponitur, & confunditur. Sed post o-[illegible] Trita, Crocus, Moschus, Gallia, Ambra, &

Trita quando ponenda, & quomodo.

Lythargirium si multum inchoante coctura.

Caphura, Moschus & Ambra quando.

ora, & Caphura solitarie detrita addantur, aut aliquo liquore, vel Olei portiuncula dissoluantur in mortario, quod Oleum efficacius, si calidum. Sint Tritorum tres, aut quattuor ad summum vnciæ pro singula libra aliorum; etiamsi Mesue in Cerato Santalino imponat dr. xlvij. Tritorum in vna Olei libra, & interdum minorem quantitatem.

III. Mucagines post Lytargirum addantur, etiamsi hoc ab omnibus non seruetur, sed vt plurimum ante cetera Trita, quæ prius sint colorato traiectæ, & leuiter decoctæ. *Mucagines quando.*

IV. Ladanum, & Opium post omnia; Gal. enim lib. 4. per gen. Ladanum ex Vino dissolutum addit; nõ eget enim aliqua coctione. Sic & Opium Paulo iubente, *Opium & Ladanum quando.*

V. Ceræ pro qualibet Olei libra sint vnciæ tres, aut quattuor, si tempus Æstiuum, at interdum & sex, & octo, si Ceratum solidum, & duritie præditum conficere studemus; immo, & aliquando æqualem Olei, & Ceræ portionem assumere decernunt, præcipue si ex Succis tantum, & Oleis componantur; at minorem, si etiam ex Tritis. Horum quædam habemus lib. 3. per genera, c. 4. ita: *Sit in Ceratis minor copia Ceræ Hieme, quam Æstate: & si [illegible]* *Ceræ quantitas.*

gu[illegible]

guēta efficere proponis, Oleum Ceræ quadruplum immiſcebis : at ſi in modum Emplaſtri Oleum menſura pari Ceræ miſcebis. Quæ etiam ſæpe à Meſue, Paulo, & Orib. probantur.

Cera quando. Cera, cum aliis immiſcetur, in minutiſſima fruſta ſcindatur, vt Damocrates referente Gal. 7. per genera, c. 16. Sic & Pix, & Reſina, ſicuti i. per genera, c. 22. Tempus hæc iniiciēdi, vt plurimum eſt in principio coctionis, etiamſi aliis temporibus quoq; imponātur, de quib. diligenter inf.

Pinguia quando. VI Omnia Pinguia, narrante Paulo, iuxta mediam coctionem adiungere debemus: etiamſi aliquando & incipiēte illa.

Gummi quando. VII. Gummi, & ſimilia poſt Ceram, & Reſinam ceteris paulatim immiſceantur vaſe ab igne remoto, quæ prius Aceto macerentur, & tepida cribro, aut panno laxo traiiciantur: ſunt talia Sagapenum, à vulgo Serapinum dictum, Chalbanum, Ammoniacum, & Bdellium. Meſue interdum & Myrrhā Aceto diſſoluebat, qui quandoque hanc, & Sagapenum Oleo, & Succis admiſcere iubet, & decoquere ad ſuccorum cōſumptionem, vt in Vnguento de Arthanita, quæ omnia, vt experientia demonſtrat, optime vniuntur; at non [illegible] Aceto Gummi, & quoſdam Suc-

cos con-

cos cõcretos diſſoluunt autores, ſed etiam Decoctis, aliiſve liquorib. imo interdum & Oleo, vt Euphorbium, quod imperante Galeno, piſtillo læuigetur, quæ omnia à Pharmacopæis ſeruentur.

VIII. Sit ignis, quo hæc decoquuntur non admodum vehemens, nec adurens; ſed potius lenis, lentus, perpetuus tamen, quod cecinit Damocrates narrante Gal. 7. per genera his dictis: *Ignis qualis*

Igni non acri, ſed aſſiduo coque.

Cuius ſententiæ ſubſcribit Meſ. pluribus in locis.

IX. Coquantur vaſe ſtanno illito, vt Meſ. vbi de Vnguento Palmeo, vel vaſe fictili, aut olla, vt Damocrati placet, relatore Gal. 7. per genera, aut duplici vaſe; ſic enim ſolebant omnes Vnguenta parare, vt ſcribitur 3. per genera, cap. 8. *Vaſa qua.*

X. Dum hæc aguntur, perpetuo, & diligenti manu Spatha, aut Rudicula agitentur, & ſubigantur, vt in vnum coeant, & craſſeſcant, mandatum eſt Gal. lib. 1. per genera, cap. 2. qui hæc: *Spatha ex Thedarum ligno aſſidue agitentur, ne ſubſideant, & ne comburantur.* Et Damocrates, vt Galen. 5. per genera, c. 5.

Spatha atq; Medicamentum agitato ſedulo.

Quantitas. XI. Mediocri componantur quantitate, *sed potius pauca præsertim Hieme, ne arescant, & lapidea fiant*, vt per gener. c. 5.

Illa quæ substantia sunt crassa, & ita cocta, vt manus non inquinent, in mortarium, aut vas Aqua semiplenum versentur, vt Orib. 3. Synop. vel Vino, sicut Gal. 2. per genera, qui multa immergit, immo interdum in mortario hæc tundere iubet, vt in illis legitur libris: postea in Lobulos formentur, vel manibus Oleo inunctis, vt 5. de comp. per genera, quod seruatur ab Aet. Ser. xv. sæpe dicens: Manibus subactum in massam redigatur.

Differentia varia Vng. & Emplast. Cum multiformia, & varia describantur à Maioribus nostris Vnguenta, Cerata, & Emplastra, quorum compositiones impossibile est sub vnica methodo præparandi contineri, arbitratus sum hæc distinguere in quinque genera.

I. Horum quædam ex Cera, Oleo, & Tritis non raro aliquo liquore socio, & pinguedine componuntur.

II. Quædam ex Cera, Oleo, Gummi, Pinguedine, Resina, & Tritis, in quib. non raro Resinæ, & similia locum Ceræ tenēt.

III. Aliqua ex Cera, vel alio vicem eius sube[illegible]nte, Oleo, Pinguedine, Mucagi-[illegible]cis, aut Decocto, Gumi, & Tritis.

Nonnul-

IV. Nonnulla ex Cera, Mucagine, Oleo, Metallicis, Pinguedine, Gummi, & Tritis parantur.

V. Et deniq; inueniuntur aliqua, quæ nomine Vnguenti, & Emplastri decorantur, quæ nullam Ceram recipiunt, immo horum quædam nec Oleum, nec Mucaginem, nec Gummi, recipiunt: sed aut Mel, aut Sapam, aut Acetum, aut Miuam, aut Lixiuium in sui structura admittunt; de quibus omnibus sermonem satis longum habebimus.

PRIMUM GENUS EST

De Emplastris, aut Vnguentis, aut Ceratis, quæ in eorum compositione Ceram, Oleum, interdum aliquem liquorem, Pinguedinem, nec non etiam Resinam, & similia, & tandem Trita admittunt.

Cap. III.

Primum genus illorum, quæ foris admouentur, loquor de illis, quæ aliqua crassitie donata sunt, quæ Ceram, Oleum, Trita, & interdum Resinam, & Pinguedinē, & similia recipiunt, hoc modo paretur.

Cera in minimas partes dissecta, & Oleum simul liquescant semper agitat[illegible]

Remo-

Remoueantur ab igne, & trita diligenter & creta paulatim inspergantur.

At si aliquod pingue compositio recipiat, cum Oleo, & Cera liquescat, sic & Pix, & Resina, & Terebinthina.

Si Succum, aut Vinum, aut Decoctum, bulliant hæc cum Oleo tantum ad eorum exhalationem, cui postea Cera addatur, & reliqua similia, & denique Trita perpetuo miscendo, ne in vnum cogantur, ne adhęreant vasi, ne resideant, aut ne adurantur.

Si inter Trita sit Caphura, aut Moschus, aut Crocus, optime per se læuigata post omnia iniiciantur, aut ceteris tritis immisceantur.

Hæc omnia hac methodo instituta fuerunt à grauioribus Medicis; Nam Ceram, & Oleum simul liquefacienda esse decreuerunt Mes. Auic. li. 5. cap. 12. Celsus, & alii Scriptores. Cera multa in frustula minutissime incidatur, vt Damocrates Gal. referente lib. 7. cap. 17. per genera. Postea deposito ab igne vase, vt Paulo Actuar. & Mes. placet, ita vt in ipso contenta quoquomodo frigescant, sicuti legitur 8. per loc. c. 1. Cætera Trita subtili incerniculo traiecta, & læuigata illis admisceantur, quæ paulatim inspergenda veniunt, & [illegible] brachio miscenda, donec vniantur,

Haly

Haly documentum lib. 10. Practicæ. Si Liquores, aut Decocta, aut Succos in sui structura recipiant, bulliant cum Oleo ad eorum consumptionem, vt Paul. cap. 19. quod litteris tradidit non raro Mes. deinde Cera addatur, antequam etiam Butyrum, & Pinguedines Oleo iniiciantur, vt Serap. lib. de Antid. & 2. per genera, cap. 17. vna cum Cera adiungere possumus Resinam, sicuti 1. per genera, c. 17. & Picem 2. per genera, c. 18. & Terebinthinam & Seuum, vt 7. per genera, c. 12. cui opinioni assentiunt Actuar. & Paul. li. 7. Denique Pulueres cum Farinis, si mandata Orib. 3. Synop. Ser. lib. de Antid. Aet. & Actuar. sequi volumus.

Ceratum Santalinum Mes. & Exercitatio, quod aliqui Vnguentum dicunt.

℞. Rosarum, .i. Rubearum dr. xij.
Santalorum Rub. dr. x.
Santali Albi,
Citrini an. dr. vj.
Boli Armeni dr. vij.
Spodii ex Ebore vsto parato dr. iiij.
Caphuræ dr. ij.
Ceræ albæ drach. xxx.
Olei Rosati lib. j.

Ingred. ...
Quæ

Quæ duo si lauentur, fiet præstantius. Mes. Cæra minutim dissecta, & Oleum simul liquescant; deinde remoueantur ab igne, & addantur omnia trita subtilissime, atq; creta, inter quæ Caphura solitaria læuigetur, & post omnia addatur, aut cum aliis tritis accurate permisceatur, paulatim hæc in liquata proiiciantur perpetuo pistillo agitando, donec in vnum frigefacta coeant.

Ceratum Oesypatum Gal. referente Mesue & Exercitatio.

℞. Ceræ flauæ vnc. iij.
Olei Chamæmel.
Irini ana vnc. vj.
Masticҽs vnc. j.
Spicæ Nardi dr. ij. ß.
Croci dr. j. ß.
Terebinthinæ vnc. j.
Resinæ vnc. ß.
Oesypi dr. lxxx. *Ingred. ix.*

Olea, Terebinthina, Resina, Cera, & Oesypum simul liquanda, & si impura colo traiicienda, quibus Mastiche, Spica, & Crocus per se trita, & simul confusa addantur, vt superius diximus.

Cera-

Ceratum Galeni Stomachicum relatore Mesue.

℞.Rosarum,
Masticheș ana drach.xx.
Foliorum ſiccorum Abſinthii dr.xv.
Spicæ Nardi drach.x.
Ceræ vnc.iiij.
Olei Roſati lib.1.ß. *Ingred.vij.*

Cera, & Oleum liquentur, & Aqua Roſarum diu lauentur, iterum liquentur, & lauentur Vino veteri, & auſtero, ſucco Cydoniorum, & Aceto pauco, poſtea miſceātur reliqua tenuiſſimè trita, & fiat Ceratum. Meſue. Pauci ſunt, qui hæc omnia ſeruent.

Vnguentum ad Scabiem expertum Meſue, & eius Exercitatio.

℞. Axungiæ, ſcilicet Porcinæ vnc.v.
Olei Laurini,
Argenti Viui, i. Hydrargiri,
Ceræ puræ,
Maſtiches,
Thuris albi ana vnc.ij.

Salis communis vnc.viij.
Succi Fumariæ,
Plantaginis ana q.s. vt lib.ß. *Ing.ix.*

Ceram, Axungiam membranulis purgatam, & Oleum Laurinum cum Succis coque simul in vase stannato; tunc adde puluerem Salis, Mastiches, & Thuris, cum percoctum erit, & ab igne ablatum, adde Argentum Viuum Saliua extinctum, & pauco Olei Laurini, spata diu misce. Mes.

Vnguentum Basilicon Maius Mesue.

℞. Ceræ albæ,
Resinæ Pini,
Seui Vaccini,
Picis Glutin.i.Picis Naualis,
Thuris,
Myrrhæ partes æquales.
Olei quãtitatem idoneam. *Ingred.vij.*

Quæ procul omni dubio sumenda venit à quantitate Ceræ, vt si vnciæ tres, vna sit Olei libra, componatur, vt est artis.

Aliud

Aliud Magnum Basilicon Mesue, quod est in vsu.

Ceræ vnc.vj.
Picis vnc.iij.
Resinæ Pini,
Seui vaccini,
Thuris,
Myrrhæ ana vnc.j.ß.
Oleum q.s. videlicet lib.ij. *Ingred.vij.*

Fiat Vng. Nescio, cur dicatur Vnguentum, & non Ceratum, cum Ceram in se recipiat, & copiosam; & cur non dicatur Emplastrum, cum in sui compositione existant Resina, Pix Naualis, & Thus, quę sunt in causa, vt hoc genus Pharmaci partibus adhæreat: sed vt dixi, à Mes. hoc non seruatur.

Basilicon Minus Mesue.

Resinæ
Picis,
Ceræ ana partes æquales.
Olei quantitatem idoneam. *Ingred.iiij.*

Galenus etiam descripsit hoc Vnguen-

tum lib. 2. Facul. Simpl. vbi de Pinguedine sub nomine Tetrapharmaci, sic:

℞. Ceræ,
Resinæ,
Picis,
Adipis Vaccini ana vnc. ij. *Ing. iiij.*
Fiat, vt est artis, Vnguentum, vel potiùs Emplastrum.

Ceratum refrigerans Galeni, quod describitur lib. 10. Meth. cap. 9.

℞. Ceræ albæ vnc. iij.
Olei Rosati Omphacini vnc. ix. vel xij. *Ingred. ij.*

Liquentur duplici vase, quod postquã fuerit refrigeratum, misceatur ei tantum aquæ, quantum in se, dum cum ea mollitur, accipere possit, quæ quidem aqua sit frigidissima, abundè autem Ceratum refrigerabis, si totum vas, in quo continetur, in aquam frigidissimam dimittas, quod si Aceti quoque admodum tenuis, ac clari paululum adiicere velis, vtique magis adhuc refrigerans, & humectans medi-

medicamentum efficies. Hæc Galen. Mesue Ceratum hoc lauandum diu, ac subigendum Aqua decreuit, sic & Aceto. Rarò reperitur apud Seplasiarios perfectum; cum pauci eorum Oleum Rosatum Omphacinum conficiant, nec duplici vase illud liquent, nec exquisitè refrigerent.

Seplasiariorũ aliquorũ errores.

Vnguentum ex Alabastro, quod est in vsu, rarò enim illud, quod describitur à Nicolao Mirepsio à Medicis imperatur.

℞. Alabastri subtiliter triti lib. j.
Comatum Fæniculi recentis cum seminibus vnc. iij.
Florum Chamæmeli recent. vnc viij.
Rutæ virentis vnc. ij.
Summitates recentes Rubi tenellas nu. lxxx.
Olei Rosati lib. iij.
Ceræ albæ vnc. viij.
Vini albi lib. circiter ij. *Ingred. ix.*

Herbæ omnes contundantur diligenter, quibus Cera, Oleum, Alabastrum, & Vinum admisceantur, & bulliant ad hu-

moris consumptionem, colentur, & exprimantur, expresso adde tria Oui albumina curiosè agitata, & diligenter misceantur.

Vnguentum Comitissæ Varignanæ.

℞. Corticum mediarum Glandium,
Corticum mediarum Castanearum,
Corticum mediarũ arboris Quercus,
Baccarum Myrti,
Caudæ Equinæ,
Gallarum,
Corticum Fabarum internarum,
Acinorum Vuarum ana vnc. j. ß.
Calycum Glandium.
Sorborum immaturorum exsiccatorum,
Mespilorum acerborum siccorum,
Foliorum Capparis,
Foliorum Prunioli siluestris,
Radicum Chelidonii ana vnc. j. ß.
Decocti Plantaginis q. s. vt lib. ix.

Contundantur crassiuscule, & decoquantur in sufficienti quantitate Decocti Plantaginis ad dimidij consumptionem, cola, & in dicta collatura abluantur nouem vicibus, Decoctum semper inno-

uan

quando; deinde addantur

Olei Myrtini lib. j. & vnc. iij.

Ceræ vnc. vij. ß.

Postea simul liquescant cum Olei Mastichini nō abluti lib. j. & vnc. iij.

Quibus admisceantur diligenter trita, atque creta hæc, scilicet

Corticum med. Glandium,

Cort. med. Castanearum,

Cort. med. Quercus arboris ana par. vnam, scilicet vnc. j.

Gallarum,

Succi Hypocistidis,

Cineris ossium crucis Bubuli,

Baccarum Myrti,

Acini Vuarum,

Sorborum siccorum ana par. ß. scilicet vnc. ß.

Trochiscorum Succini, id est de Charabe par. j. scilicet vnc. j.

Ingred. xxviij.

Et fiat Vnguentum, quod potiùs Ceratum vocandum venit.

Vnguentum Defensiuum Magistrale.

℞. Boli Armeni,

Sang. Draconis,
Terræ Sigillatæ ana vnc.j.
Olei Rosati vnc.vj.
Ceræ vnc.j.ß.
Aceti drach.vj. *Ingred.vj.*

Coquantur Oleum, Cera, & Acetum ad eius consumptionem, postea cetera læuigata addantur.

Vnguentum de Minio, seu Sandice.

℞. Olei Rosati lib.ij.
Seui Hircini vnc.ij.
Ceræ albæ vnc.vj.
Minii vnc.ix. *Ingred.iiij.*

Fiat Vnguentum, vt est artis. Si cupis esse Caphuratum adde Caphuræ drach. tres Oleo dissolutæ.

Vnguentum de Cerusa ad mentem Rhasis.

℞. Cerusæ, scilicet lotæ lib.ß.
Caphuræ drach.ij.
Olei Rosati lib.j.
Ceræ vnc.iij. *Ingred.v.*

Confi-

Conficiatur Vnguentum ſecundùm
rem, cui admiſceantur Oui albumina
accuratè agitando, cum frigidum fue-
ri

Vnguentum de Calce Simplex, quod eſt in vſu.

℞. Olei Roſati Omphacini lib.j.
Calcis nouies lotæ,
Ceræ albæ ana vnc.iij. *Ingred.iij.*
Fiat Vnguentum.

Vnguentum è Reſina, quod à multis Citrinum appellatur, & Raſinum.

℞. Olei optimi lib.j.& vnc.iij.
Reſinæ Pini,
Ceræ citrinæ,
Terebinthinæ ana lib.j. *Ingred.iiij.*
Omnia ſimul liqueſcant, & colentur.

Vnguentum Viride Andromachi referente Gal. lib.2.per genera, cap.2.

℞. Reſinæ Pini lib.ij.

Ceræ

Ceræ lib.j.
Olei communis cyathos binos, ſcilicet vt Paul. vnc. iij. quod pendet vnc.ij. & dimidiam.
Æruginis Æris vnc.iij. alii duas. *Ing. iiij.*

Paretur liquefactis, quæ liquari poſſunt: deinde Ærugo inſpergatur: quidam vbi refrigerauerint, mox raſerint, in mortario miſturam moliuntur. Hæc Galen.

Vnguentum Viride, quod eſt in vſu, appellatum Damaſcenum.

℞. Vnguenti, è Reſina lib.ij.
Viridis Æris vnc.j. *Ingred.ij.*

Liquefacere oportet Vnguentum continuò permiſcendo, cui liquido, & ab igne remoto Viride Æris admiſceatur diligenter.

Vnguentum Citrinum Nicolai Mirepsij, vel de Pomo Citri.

℞. Boracis mineralis vnc.ij.

Corallii albi vnc.ß.
Amianti, ſcilicet Aluminis è Pluma, vel Aluminis Sciſſilis,
Vmbelici Marini, loco eius Alba Conchylia,
Tragacanthæ,
Amyli,
Enthalii, loco eius Purpura Marina,
Denthalii, loco eius Buccinulæ albæ, à vulgo Porcellete,
Thuris,
Nitri, ſcilicet communis, aut Salis vſti ana drach. iij.
Marmoris albi, loco eius Alabaſtri drach. ij.
Caphuræ drach. j.
Gerſæ Serpentariæ vnc. j.
Ceruſæ drach. vj.
Axungiæ Porcinæ recentis q. s. vt lib. j. circiter.

Omnia diligentiſſimè trita ſecundùm artem Axungiæ admiſceantur in mortario agitando curiosè, quæ poſtea in Citris medulla interna priuatis decoquantur, ab ipſis extrahantur, & ſeruetur Vnguentum. His addit Nicolaus Salernitanus

Seui Caprini vnc. j. ß.
Adipis Gallinacei vnc. j. *Ingred. xvij.*

Quæ

Gersa Serpẽtaria quomodo fiat. Quæ cum Axungia liquescant. Gersa Serpentaria sic paretur. Sumantur Serpentariæ radices vere, in frustula scindantur, & exsiccentur, & in puluerem redigantur, ex quo Pastilli aqua Rosacea fingantur, postea macerentur illi iam exsiccati aqua Rosacea, quod vigesies reiteretur: & postremò exsiccentur. Ni fallor paucissimos arbitror adinueniri Seplasiarios, qui hæc agant. *Error Seplasiar.*

Vnguentum Agrippæ Regis, Nicolai Salernitani.

℞. Radicum Brioniæ lib.ij.
Radicum Cucum. siluest. lib. j.
Scillæ lib.ß.
Ireos vnc.iij.
Radicum Filicis,
Radicum Ebuli,
Tribulorum aquatici ana vnc.ij.
Olei puri candidi lib.iiij.
Ceræ albæ lib.i. *Ingred.ix.*

Radices omnes recentes incidantur, & contundantur, sic & cetera, & per dies octo in dicto Oleo macerentur, colentur, & exprimantur, expresso consumpto adda-

addatur Cera minutim incisa, & simul liquescant.

Vnguentum Pectora leniens, seu Pectorale.

℞. Iridis drach.ij.
Croci drach.ß.
Olei Amigdal.dul.vnc.v.
Violati,
Chamæmelini ana vnc.iij.
Adipis Gallinæ recentis vnc.ij.
Ceræ albæ vnc.iij. *Ingred.vij.*

Cera, Adeps, & Olea in vnum liquescant, postea in vase aliquo septies abluantur aqua Hordei, aut Maluæ, quibus adde Iridem, & Crocum subtiliter solitariè tritum.

Vnguentum Aragon Nicolai Salernitani, vel Præpositi.

℞. Rorismarini,
Maioranæ,
Radicis Ari, id est Serpentariæ,
Serpilli ana vnc.iiij.ß.

Rutæ,
Radicũ Cucum. agrestis ana vnc. iiij. ß.
Foliorum Lauri,
Saluiæ,
Sabinæ ana vnc. iij.
Pulicariæ maioris, i. Conyzæ, & minoris ana vnc. iiij.
Radicum Bryoniæ,
Laureolæ, i. Daphnoides Diosc. vn. ix.
Foliorum Cucumeris siluest.
Næpitæ, vel Calaminthes siluestris ana vnc. vj.
Mastiches,
Thuris ana drach. vij.
Piperis,
Euphorbii,
Pyrethri,
Zingiberis ana vnc. j. alii drach. j.
Adipis Vrsini,
Olei Laurini ana vnc. iij.
Olei Moschelini, eius loco de Spica Nardi vn. ß. Petrolei, id est de Naphtha Diosc. vnc. j.
Butyri vnc. iiij.
Olei communis lib. v.
Ceræ lib. j. & vnc. iij. *Ingred. xxviij.*

Radices, & Herbæ recenter collectę in Oleo macerentur septem diebus, coquantur ad humoris consumptionem, per

per colum traiiciantur, Cera addatur, Butyrum, Adeps, Oleaq. & tandem cetera illia curiosè detrita: prius tamen Simplicia illa recentia dilacerētur, & pistillo buxeo terantur.

Vnguentum Martiatum Nicolai Salernitani.

℞. Ceræ albæ lib. ij.
Olei lib. viij.
Rorismarini, vel Libanotis,
Foliorum Lauri ana vnc. viij.
Rutæ vnc. vij.
Tamarisci vnc. vj.
Ebuli,
Sabinæ,
Saluiæ, Lisfagi Arabicè,
Balsamitæ, s. Momordicæ, vel Caranzæ,
Ocymi, s. Basilic.
Polii,
Calaminthes,
Arthemisiæ,
Enulæ,
Betonicæ,
Brancæ Vrsinæ,
Spargulæ, id est Rubeæ minoris,
Herbæ Venti, id est Parietariæ,

Pim-

Pimpinellæ,
Agrimonii,
Absinthii,
Herbæ Paralysis, Verbasci species,
Herbæ Sanctæ Mariæ, i. Persicariæ,
Cymarum Sambuchi,
Herbæ Crassulæ, i. Fabæ crassæ, vel
Telephii,
Millefolii ana vnc. iiij. ß.
Semperuiuæ,
Plantaginis maioris,
Chamædryos,
Centaureæ,
Centumneruiæ,
Fragulæ, i. Fragariæ,
Tetrahit, id est Herbæ Iudaicæ, aut
Orobi, vel Virgæ Aureæ,
Quinque folii ana vnc. iiij. ß.
Radicum Altheæ,
Cimini,
Myrti ana vnc. iiij.
Fænugræci vnc. i. ß.
Fol. Vrticæ,
Violarum,
Papaueris albi,
Menthæ Saracenæ,
Mentæ Crispæ,
Lapathioli,
Polytrici,

Car-

Cardoncelli, à Græcis Erigeron, à Latin. Senecium,
Matrissiluæ,
Maturellæ, id est, Valerianæ.
Herbæ Moschatæ, id est Rostri Ciconiæ,
Allelujæ, id est, Trifolii acidi,
Linguæ Ceruinæ, id est Phyllitidis,
Crispulæ, id est, Oculi Bouis,
Camphoratæ, id est, Abrotani,
Styracis Calamitæ,
Medullæ Ceruinæ ana vnc. ß.
Butyri vnc. j ß.
Adipis Ursini,
Gallinacei,
Mastiches,
Thuris ana vnc. j.
Olei Nardini vnc. ij.
Vini albi odorati, quantitatem idoneam. *Ingred. lxiij.*

Omnes Herbæ & Radices mense Majo colligantur tertia hora diei, contundantur, incidantur, & dilacerentur, Vino odoro per septem dies macerentur vnà cum Fænugræco; deinde bulliant, & cum incipit Vinum absumi, Oleum addatur, & coquantur ad consumptionem Vini, colentur, & exprimantur, & Herbæ pro-

jiciantur; colato adde Styracem, dum e-bullit, Axungiam, Thus, Adipes, Mastichem, Oleum Nardinum, & Ceram continuo ſpatha miſcendo; remoueatur ab igne, & ſeruetur. Nicol. Alii remouent ab igne liquata omnia vnà cum Cera, & addunt Maſtichem tritam, atque Thus, & Styracem cum aliqua Olei portione calidi, in mortario diſſoluunt. Melius forte eſſet, dico forte, ne repugnem Autoris dictis, expreſſum Oleo admiſcere Herbis reiectis, ne maximam partem Olei abſorbeant.

Martiatum Minus.

℞. Foliorum Lauri lib. iij.
Rutæ lib. ij. ß.
Amaraci, id eſt, Majoranæ lib. ij.
Rotiſmarini lib. j. ß.
Foliorum Myrti lib. j.
Ebuli,
Balſamitæ,
Baſilici, ſcil. Ocymi ana vnc. vj.
Styracis vnc. iiij.
Maſtiches vnc. iij.
Thuris vnc. ij. ß.
Butyri vnc. v.
Medullæ Ceruinæ,

Adipis

Adipis Ursini,
Gallinacei ana vnc. iiij.
Olei Nardini vnc. ij.
Olei communis lib. vj.
Ceræ flauæ lib. j. vnc. viij.
Vini albi odor. q. s. *Ingred. xviij.*

Paretur, vt superius. Quidam repugnantes Scriptoris placitis nulla necessitate ducti augent Olei quantitatem ad lib. viij. & in primo ad x. *Error aliquorum.*

Emplastrum de Euphorbio Galeni lib. 6. Methodi cap. 2. & modus parandi ipsum.

℞. Ceræ partem vnam,
Terebinthinæ,
Picis ana partem dimidiam;
Euphorbii duodecimam partem vnius partis. *Ingred. iiij.*

Euphorbium cum Oleo pauco contundens, ac ad sordium spissitudinem redigens, mox reliquis post liquationem refrigeratis terens misceo. Gal. *Euphorbium cũ Oleo pistillo liquescit.*

Emplastrum Diabotanum, i. e. ex Herbis, Critonis, referente Gal. lib. 6. per genera, cap. 2.

℞. Anagallidis ceruleum florem habentis,

bentis, id eſt, Paparinæ à vulgo,
Papaueris Ceratidis, id eſt, Erratici,
Alterci foliorum tenerorum, id eſt,
Hyoſcyami ana den. lvj. id eſt,
drach. vt Gal.

Hæc in pilam, ſeu mortarium coniecta teruntur, quouſque contuſa ſint, ac diſſoluta duntaxat, ne eorum ſuccus abſumatur. In alio autem mortario habentur

Squammæ Æris rubri den. xxv.
Mannæ, ſcil. Thuris den. viij.
Reſinæ ſiccæ den. xvj.
Aloes den. xvj.
Aluminis Sciſſilis, & Rotundi ana
den. iiij.

Hæc in Sole læuigantur cum Aceto, vt ſordium craſſitudinem habeant. Deinde Herbæ miſtæ, donec probe coeant, teruntur. Poſtea Ceratum facito ex

Ceræ Chiæ den. c.
Olei veteris hemi. ij. id eſt, vnc. xv.

Hæc Galenus. *Ingr. xiij.*

Procul dubio prius Cera, & Oleum liquanda ſimul veniunt, & cetera addenda illis, & cum Herbæ detritæ, & contuſæ in hoc Emplaſtro recipiantur, non erit for-

rit forte absurdum succum ab ipsis elicere, & cum Oleo ipsum decoquere, vsquequo absumatur; mox Ceram addere, & cetera alia, & Emplastrum parare.

Ceratum è Cerusa.

℞. Cerusæ tritæ, & læuigatæ lib. ij.
Olei Rosati lib. j.
Caphuræ drach. ij.
Ceræ vnc. iij. *Ingred. iiij.*

Fiat Ceratum, vt est artis; post omnia adde Caphuram tritam, vel Oleo dissoluatur.

Ceratum Capitale, quod de Betonica dicunt aliqui.

℞. Betonicæ,
Matris siluæ, id est, Periclymeni Diosc.
Saluiæ ana vnc. j.
Aristolochiæ vnc. ß.
Ceræ flauæ,
Resinæ Pini ana vnc. vj.
Terebinthinæ vnc. iij.
Olei Abietini vnc. ij.
Gummi Elemi vnc. j.

Vini albi q. s. *Ingred. x.*

Herbæ, & Radix macerentur Vino; deinde cetera addantur. Gummi dissoluatur aliqua Terebinthinæ portiuncula. Vino absumpto colentur, & expimantur, & fiat Ceratum, quod potius Emplastrum dicendum erit.

Vnguentum digerens, vel Digestiuum dictum.

℞. Olei Rosati,
Terebinthinæ ana lib. j.
Ceræ albæ vnc. iij. *Ingred. iij.*

Liquescant simul, & abluantur aqua Hordei, aut Plantaginis; si vigorosius, succo Absinthii.

Aliud.

℞. Terebinthinæ vnc. iiij.
Vitel. Ouorum num. ij.
Farinæ Hordei vnc. j.
Croci script. ij. Misce.

Emplastrum Diaphœnicon Mesue.

℞. Dactylos siccos nu. xl.

Panis biſcocti dr. v.
Carnis Cydoniorum Vino coctorum vnc. j.
Cerati ex Ceræ vnc. ij.
Olei Roſati, & Nardini facti ana vnc. iiij.
Maſtiches,
Thuris,
Abſinthii Romani ſicci, id eſt, communis ana dr. ij. ß.
Aloes,
Macis,
Calami Aromatici,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Acaciæ,
Galliæ, id eſt, Moſchatæ,
Ramich, id eſt, Trochiſcorum Ramich ana drach. j.
Ladani dr. ij. *Ingred. xvij.*

Dactyli, & Panis biduo Vino odoro macerentur, poſt cum carne Cydoniorum multum terantur, deinde cerato miſceantur tundendo in mortario, denique cetera trita, verum tundendo illis addantur, perfecteque miſceantur. Satius erit Maſtichen, & Ladanum Ceræ, & Oleo miſcere, (quibus aliquid aquæ addatur)

 vtendi

vtendi tempore suffiatur Xiloaloe. Mes. Dactili, vt iam diximus, vbi de fructibus, prius nucleis priuentur, & membranulis, & cum Pane, & Cydoniorum carne per cribrum transmittantur. Ladanum Vino dissoluatur.

SECUNDUM GENUS EST

De illis, quæ Ceram, Oleum, Pinguedinem, nec non etiam interdum Resinam & similia, Gummique recipiunt.

Cap. IV.

Ordine seruato præcedenti cap. 3. instituto, Ceram, Adipem, & Resinam vase ab igne remoto, & modice refrigerato, Unguento Gummi iniiciantur disrupta, & Aceto, aut alio liquore dissoluta, & per rarum cribrum traiecta: Hæc aut nullam, aut paucam ferunt ebullitionem; vt plurimum enim in vnum coguntur, & vniuntur: sed potius indigent longa agitatione, vt aliis misceantur. Et hæc sunt agenda, quotiescumque non repugnetur placitis Antiquorum Scriptorum; Mesue enim in Unguento Ciclaminis, i. e. de Arthanita imperat Sagapenum, & Myrrham dissolu-

dissoluta tamen in Decocto cum Oleo ebullire, & tandem Ceram addi. Præterea Gal. 2. per gen. c. 9. Ammoniacum, & Chalbanum iubet lente coquenda esse. Et Mes. in Ung. Ceraseos, hæc: *Misce Ammoniacum, & Bdellium Aceto soluta redde igni, & coque ad iustam crassitiem.* Sed decoquebat forte, non ebulliendo, sed euaporando. Post Ceram, & Resinam imponit Gummi, vt 2. per gen. c. 18. scribitur, Gal. prius Aceto dissoluta, cuius verba: *Post Ceram, & Resinam, Chalbanum, & Opoponacem ex Aceto.* Et Damocrates, sicuti 7. per genera circa finem hæc:

Cera, & Pitynia, quibus liquatus Ollulæ
Ab igni feruens tollitur, tunc protinus
Ammoniacum, &c. Et c. 12. Chalbanum.

Sed non omnia eodem tempore aliis admiscenda veniunt: *nam Ammoniacum circa mediam coctionem iniicitur, Opoponax multo post Ammoniacum, Chalbanum post omnia; neutiquam enim coctionem tolerat, & Sagapenum immiscetur aliis, cum ab igne vas sublatum.* Hæc Paul. Dissoluenda esse semper Gummi decreuit Orib. 3. Syn. Serap. lib. de Antid. Paul. & Gal. 3. per

Gummi dissoluantur Aceto.

per gen. sic: Ex Aceto, & citra ignē liquefacere iubet Am̄oniacū, Sagapeni liquorē, Opoponacem, Chalbanum, sic & Thus, vt 2. per genera. ita & Bdellium Mes. per diem, & noctem. At non tantum hæc dissoluebat Gale. sed omnia, quæ liquari, ac macerari possunt, vt Aloe, & non semper Aceto, sed etiam alio liquore, quæ paulatim addantur diligentissime miscendo.

Emplastrum de Meliloto Mes. quod est in vsu.

℞. Florum Meliloti vnc. vj.
Florum Chamæmeli,
Comarum Absinthii,
Sampsuchi, id est, Maioranæ,
Fænugræci,
Baccarum Lauri,
Radicum Altheæ ana dr. iij.
Sem. Apii,
Ameos, in eius def. Ciminum,
Cardamomi,
Ireos,
Cyperi,
Spicæ Nardi,
Casiæ ana dr. ij. ß.

Ammo-

Ammoniaci dr. x.
Styracis,
Bdellii ana dr. v.
Terebinthinæ vnc. j. ß.
Ceræ vnc. vj.
Ficus pingues xij.
Seui Caprilli,
Resinæ ana vnc. ij. ß.
Olei Sampsuchini, id est, de Maiorana,
Olei de Spica ana q. s. vt lib. j. alii vnc. v. *Ingred. xxv.*

Aquæ, cui incocta fuere Fænugræcum, Chamæmelum, & Melilotus, quantum erit satis aliorum infusioni. Mes. Trita reddantur omnia, Gummi in Decocto infundantur, & macerentur, Olea, Cera, Seuum, Terebinthina, & Resina in vnum liquescant, quibus dissoluta illa addantur semper miscendo, deinde Ficus tritæ, & per cribrum traiectæ, & pulueres. Hoc me iudice, si proprie loquendum venit, Emplastrum non est dicendum, cum minime partibus adhæreat; sed pauco tempore friabile factum decidat.

Emplastrum, seu Malagma Andromachi ex Meliloto à Gal. lib. 8. secundum loc. descriptum.

Cap. V.

℞. Nardi Celticæ drac. viij.
Cyperi,
Iridis Illyricæ,
Myrrhæ ana drach. viij.
Croci drach. iiij.
Meliloti, .i. florum eius dr. xxv.
Ammoniaci Thymiamatis dr. l.
Terebinthinæ drac. l.
Ceræ drach. c.
Olei Cyprini, eius loco de Spica dimidium heminæ, scil. vnç. iij. ß. drach. ij.
Aceti quod satis est ad Gummi dissoluendum.
Fiat, vt est artis, Emplastrum. *Ingr. xj.*

Vnguentum de Bdellio Mesue.

℞. Bdellii drac. vj.
Euphorbii,
Sagapeni ana drach. iiij.
Castorei drach. iij.
Ceræ drach. xv.

Olei

Olei Iaſmini, aut Leucoii lutei, ſc. Keiri dr. x. alii legunt vn. x. quod melius. *Ingr. viij.*

Bdellium, & Sagapenum aqua Rutæ agreſtis diſſoluantur. Et fiat Ung. quod potius Emplaſtrum vocarem.

Vnguentum ex Matreſiluæ Carpi, ſiue Periclymeno.

℞. Terebinthinæ,
Reſinæ Pini,
Ceræ flauæ ana vnc iiij.
Olei Roſati vnc. viij.
Gummi Elemi vnc. ij.
Betonicæ,
Matriſſiluæ, i. e. Periclymeni Dioſcor, ana vnc. iij.

Bulliant omnia ſimul, & Gummi Oleo diſſoluatur, ſed prius Betonica, & Materſiluæ Vini conuenienti quantitate per diem macerentur, ad Vini conſumptionem; deinde colentur, & exprimantur, iterum liqueſcant, cui Gummi admiſceatur, quibus adde

Maſtiches,
Thuris ana vnc. j. *Ingred. x.*

Quæ per ſe læuigentur.

Cera-

Ceratum Oxicroceum Nicolai Præpositi.

℞. Croci,
Picis Naualis,
Colophoniæ, id eſt, Picis Græcæ,
Ceræ ana vnc. iiij.
Terebinthinæ,
Chalbani,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Thuris,
Maſtiches ana vnc. j. ß.
Aceti parum. *Ingred. xj.*

Macerentur Chalbanum, & Ammoniacum acerrimo Aceto, & feruenti, poſtea liquentur, & colentur, & leuiter coquantur, vt ſuperflua humiditas Aceti quoquomodo abſumatur, quibus adde Picem Colophoniam, Ceram, & Terebinthinam ſemper agitando, quibus inſpergatur tenuiſſimus puluis Maſtiches, & aliorum, coctum in aquam frigidam immergatur, & manibus agitetur, & commoueatur diligēter immiſcendo illi Crocum accurate læuigatum. Nicol. Nonnulli, quod quidē ridiculum exiſtit, Crocum in ſtructura huius Emplaſtri non po- *Error aliquorum, & auaritia.* ſuiſſe;

nunt; sed tantum partem externam læuissima Croci portione flauam reddunt.

Vnguentum Viperinum Minus.

℞. Olei Viperini lib. j,
Ammoniaci,
Chalbani ana dr. iij.
Olei è Ligno Sancto dr. ij.
Ceræ vnc. iiij. *Ingr. vj.*

Gummi Aceto dissoluantur, Oleo, & Ceræ simul liquatis admisceantur, & tandem Oleum Ligni Sancti addatur, ab igne vase prius remoto: si tenacius desideretur, sint Ceræ vnciæ septem, aut octo.

Vnguentum Viperinum Maius.

℞. Olei Viperini lib. j.
Radicum Cucum. agrestis subt. pul. vnc. j. ß.
Chalbani,
Ammoniaci ana dr. iiij.
Pingued. Viperæ,
Oleum de Ligno Sancto ana dr. ij.
Terebinthinæ vnc. j.
Ceræ vnc iiij. *Ingred. viij.*
Misce, vt est artis.

Vnguen-

Vnguentum Philagrios à Mes. descriptum.

℞. Ceræ vnc. iij.
Oesypi,
Succi Rutæ agrestis ana vnc. ij.
Euphorbii,
Piperis,
Ammoniaci,
Croci,
Thuris,
Castorei,
Glutinis Alimbac, .i. Terebinthinę,
Opoponacis ana dr. ij.
Sigiæ, id est, Styracis liquidi, vel puræ Myrrhæ dr. ij. ß.
Olei q. s. *Ingred. xiij.*
Confice, vt est artis.

Ceratum Oesypi ex Philagrio Mes. relatore, quod est in vsu.

℞. Croci drach. v.
Bdellii,
Masticհes,
Ammoniaci,
Aloes,
Styracis liquidi ana drach. vij.
Ceræ flauæ lib. j.
Terebinthinæ vnc. j. ß.

Medul-

Medullæ cruris Vaccini,
Adipis Anserini ana dr. ch.xv.
Oesypi lib.j.ß.
Olei Nardini q.s. *Ingred.iij.*

Bdellium, Aloe, & Ammoniacum dissoluantur in decocto Fænugræci, & Chamæmeli, & cum aliis misceantur in Vnguentum.

Vnguentum Cyclaminis Magnum, vel de Arthanita relatum ad Alexandrum à Mesue descriptum.

℞. Succi Cyclaminis, scilicet Panis Porcini à vulgo lib.iij.
Succi Cucumeris agresti lib.j.
Olei Irini lib.ij.
Butyri Vaccini lib.j.
Pulpæ Colocynthidos vnc.iiij.
Polypodii vnc.vj.
Euphorbii vnc.ß.

Hæc tria sicca tere, & macera dies octo Succis, & Oleis in vase vitreo, angusti oris benè obstructo: postea semel feruefac & cola: deinde adde

Sagapeni,

Myrrhæ ana aur.ij.

Priùs tamen hęc duo Aceto dissoluantur, quanto est opus, eoque mouendo ad Succorum propè consumptionem: tunc adde

Ceræ vnc.v.
Fellis Vaccini aur.v.

Feruefac simul, donec Cera liquetur, tunc paulatim insperge puluerem hunc

Scammonii,
Aloes,
Mezerei, id est Chameleę,
Colocynthidos,
Turpethi ana aur.v.
Euphorbii aur.ij.
Salis Gemmæ aur.iij.
Piperis longi,
Zingiberis,
Chamæmeli ana aur.ij. *Ingred.xxj*

Misce diligenter. Sint tamen hæc accuratè trita, & vt plurimùm solitaria. Videtur nonnullis Mes. circa tempus Gummi decoquẽdi, erratum commisisse, cum in Succis, atque Oleis illa ebullire decernat; nam manifestum est Oleis non admisceri syncęris; quod quidẽ ridiculum, sic ut ab experientia patet, existit: cum illi superinfundatur Cera, quæ in causa est

Error aliquorum.

vt omnia in vnum cogantur, si sedulò agitentur; etiamsi faciliùs, si post Ceram Gũmi addantur, vt omnes decernunt. At Mes. doctissimus Medicus, & peritissimus Pharmacopæus magis hoc in Emplastro respexit nobilitatem actionis medicamẽti, quàm faciliorem modum vniendi Simplicia; qualitas enim, ac vires Gummi Succis illis diffusæ vigorosiùs Oleo communicantur, quàm si post Ceram illa admiscerentur. Quoniam vtitur Mes. Aurei pondere, non est ignorandum aureum pendere drachmam vnam, & grana sex, aut octo.

TERTIVM GENVS EST

De illis, quæ Mucagines, Gummi, Ceram, Oleum, interdum Resinam, & Trita recipiunt.

Cap. V.

Mucagines diligenter parentur maceratis aqua calida tempore conuenienti Simplicibus, & adhuc calidæ colo laxo traiiciantur; deinde bulliãt solitariæ ad debitam cocturã, sed melius erit hoc euaporando agere; cũ Oleo ferueant, vsquequo bullulæ ex maioribus paruæ, & crebræ

fiant; Gummi dissoluta addantur post Ceram, Resinam, Seuum, & similia, & postremò ab igne vase ablato Trita diligenter creta illis admisceantur. Semper autem si Litargyrum Vnguentum reciapiat, cum Oleo ante alia ad crassitiem coquatur, nisi pauca admodum fuerit eius quantitas.

Emplastrum ex Pelle Arietina ad Rupturam Arnoldi Villano, quod pro Crepatis dicunt.

℞. Lapidis Hæmatitis,
Lithargyri,
Sanguinis Draconis,
Boli Armeni ana drach. ß.
Mastiches,
Ammoniaci,
Mumiæ,
Chalbani,
Thuris,
Costi,
Lumbricorum ana drach. ß.
Picis Nigræ,
Græcæ, id est Colophoniæ,
Ceræ Albæ,
Rubræ ana vnc. j.

Galli

Gallarum,
Ballaustiorum,
Aristolochiæ rotundæ,
Pallarum marinarũ vstarum ana dr.vj.
Radicum Consolidæ Maioris,
Minoris,
Mediæ,
Rosarum Rubrarum,
Myrrhæ.
Aloes ana drach.iiij.
Visci Quercini,
Terebinthinæ ana vnc.ij.
Sanguinis humani, optimi, & hominis ruffi vnc.ix.
Pellem Arietinam, aut Hedinam nu.j.
Aquæ quantitatẽ sufficientẽ. *Ing.xxx.*

Pellem illam integram vnà cum pilis coquere oportet, donec omnino decocta in lentorem abeat, Decoctum feruens coletur, cuius Decocti libra vna sumatur, cui adde Viscum, bulliant simul agitando, adde Ceram, Pices, Vermes, Mastichem, & Myrrham, necnon etiam Chalbanum, & Ammoniacum Aceto macerata, & denique cetera curiosè trita. Hæc Arnol. Aliqui primò liquant liquabilia, quibus addunt Gummi Aceto dissoluta, & Viscum, & vnà cum Tritis paulatim Deco-

ctum viscidum pellis iniiciendo ad iustam crassitiem eballire omnia faciunt.

Vnguentum de Althea Nicolai Mirepsij.

℞. Radicum Altheæ lib. iiij.
Sem. Lini,
Fænugræci ana lib. ij.
Scillæ lib. j.
Aquæ lib. xiiij.

Incidantur Radices, & contundantur, sic & Semina, & Folia Scillæ frangantur, & macerentur per tres dies in aqua illa feruenti, deinde bulliant vsque quo crassescat aqua, quæ colo raro, dum adhuc calida existit, traiiciatur; huius recipe lib. iij. aut iiij.

Olei communis lib. viij.

Coquantur ad crassitiem, his admisceantur

Ceræ flauæ,
Resinæ Pini,
Colophoniæ, i. Picis Græcæ ana lib. j.
Terebinthinæ,
Chalbani,
Gummi Hederæ ana vnc. iiij *Ing. xij.*

Chal-

Chalbanum aut Vino, aut Decocto illo dissoluatur, Gummi Hederæ triretur, quæ postremò ab igne vase sublato ceteris addantur.

Vnguentum Pectorale cum Mucagine.

℞.Olei Violacei vnc.vj.
Amygdal.dul.vnc.iiij.
Butyri Vaccini recentis vnc.v.
Olei Chamæmel.
Liliorum alb.ana vnc.iij.
Ceræ albæ vnc.iiij.
Mucaginis Sem. Cydoniorum aqua Violarum paratæ,
Fænugræci,
Tragacanthi ana vnc.ij.
Ireos triti vnc.j.
Croci drach.j.
Fiat Vnguentum, vt est artis. *Ingred.xj.*

QVARTVM GENVS EST

De illis, quæ Cera, Oleo, Mucagine, Lithargyro, alijs Metallicis, Gummi, & Tritis conficiuntur, at non semper his omnibus simul.

Cap. VI.

Oleum, & Lithargyrum (prius in mortario pistillo agitata interdum) placidè bulliant, donec crassescant, semper spatha agitando, ne ima vasis Lithargyrum, vel aliud simile petat; Lithargyro, & Oleo aliqua portio aquæ addatur; vt faciliùs liquescat, & album fiat Vnguentum. Ab igne vas remoueatur, & Mucagines affundantur per se priùs euaporando parùm coctæ bulliant ad iustam crassitiem. Vel, quod tamen non est in vsu, Mucagines cum Oleo coquantur ad debitam humiditatis exhalationem, quibus Lithargyrum paulatim inspergatur. At si præter hæc Gummi recipiat, illa macerata addantur post Ceram, Seuum, Terebinthinam, Resinam; & denique trita, & tenui incerniculo transmissa, inter quæ Farinæ etiam locantur. At si fortè fortuna, quod sæpe contingit, ex variis Metallicis Emplastrum

plastrum componatur, in aliis iniiciendis ille seruetur ordo, quem infra ante oculos ponemus impulsi tamen à placitis, & Galeni, & Pauli; horum enim quædam inchoante structura ponuntur: quædam medio tempore: & nonnulla cum ad vltimam coctionem deueniunt pro diuersitate colorum vt plurimum assequenda, necnon etiam interdum facultatis. Lithargyrum ebullire cum Oleo decreuit Orib. 3. Synop. sic: *Priùs Oleum calefacere oportet, deinde Lithargyrum illi commiscere, & etiam aquam simul lento igne, sedulò agitando rudicula*, vt 2. per genera, cap. 9. Cum aqua enim citiùs liquescit, sicuti per genera 1. cap. 18. & albescit. Sic & Cels. Bulliant donec in vnum coeant imperante Galeno pluribus in locis, & Crito ipso referente lib. 4. per genera, cap. 6. hæc. *Spumam Argenti, & Oleum coquito, donec aliquatenus coierint, vel satis durum euadat Emplastrum*, vt Damocrates 6. per genera, cap. 12. vel vsquequo crassescat, sicuti Mes. Tempore, quo decoquitur Lithargyrum, & Oleum, imponãtur & Squamma Æris, & Cerusa, vt 1. per genera, c. 13. Sic & Colchotar, sicuti Mes. Post quæ Mucagines adhuc calentes colo transmissæ, & parùm coctæ affundantur, permiscean-

ſceantur, & igni coquantur ad iuſtam craſſitiem. Hæc Meſ. Priùs tamen ablato igne frigeſcant; quæ Mucagines paulatim iniiciantur, & placidè bulliant iubente Oribaſ. Hunc modum ſeruauit etiam Auicenna lib. 5. Ser. 1. Tr. 2. At Paul. lib. 7. cap. 17. hæc: *Althea, Lini ſemen, & Fanugræci decoquantur, poſtea Succi (id eſt Mucagines) exprimantur, deinde Oleo immiſceantur, & coquantur, poſt hæc Argenti ſpuma in tenuiſſimum pollinem detrita inſpergitur*; quod fortè didicit à Democrate lib. 2. per genera, cap. 10. qui ſic cecinit:

Habeto ſuccum, expreſſeriſque linteo
Oleo immiſcēsto ũ coque carbonibus,
Cũ verò tenues bullulæ ex maioribus
Crebræ contentis cacabo prodiuerint
Lithargyrum læuẽ protinus aſpergito.

Sed ab experientia patet faciliùs primo modo hæc genera Pharmacorum parari; Lithargyrum enim cum Oleo expeditiùs decoquitur, & craſſeſcit; Poſtea ſi Gummi, Ceram, & Trita recipiat, agantur illa, quæ ſuperiori capite narrauimus. Sed quoniam non rarò vnum, & idem medicamentum multa Metallica, & Lapides, & Conchylia exquirit, narrandum eſt tempus, quo vnumquodque eorum iniicere in illa Seplaſiarius debeat, etiamſi,

vt litteris tradidit Gal, 4. per genera, c.6. Hæc omnia longa coctione indigeant, vt eorum acrimonia obtundatur, cuius verba: *Ærugo, Chalcitis, Squamma, & huiusmodi coctione obtundi desiderant.* Attamen non rarò ob colorem, qui in tali Cerato desideratur; postremò aliis aliqua eorum immiscentur; aliqua incipiente coctione; & aliqua media coctione : etiamsi arbitrandum est pro varietate talium temporum Decoctionis diuersas quoque Pharmacum sortiri operationes. Ordo à Paulo Æginera lib. 7. cap.6. describitur, & ab Oribasio lib. 2. Synop. ex Antylo his verbis.

Lithargyrum cum Oleo decoquatur, modus decoctionis cum à tumore subsidet, & manus non inquinat. Cerusa, si Emplastrum nigrum in principió. Ærugo in aliquibus in principio. Ita etiam hæc decreuit Gal.1.per genera, c.4. & *18.* At si colorem album desideras, Cerusam in fine.

Atramentum Sutorium in media coctione, vt Emplastrum nigrum efficiat, sic & Plumbum vstum, sic Ærugo in Melinis Emplastris. Alumen secundum coctionem additur. Sal, & Nitrum sic, sicut etiam Sori, & Diphryges, & Æs crematum, & Æris flos, & Chalcitis. Hoc pacto etiam Gal.

admi-

admiscet, vt 4. per genera, & 1. per genera, 18.

Mysi postremò additur, sic Auripigmentum & Sandaraca. Cerusa in alba Emplastra sic enim colorem seruat. Sic Ærugo post coctionē in viridibus, Miniū, Cadmia, & Pompholix in fine, sic & Sulphur, Emplastra nigrefacit. Terram omnem, & Lapides plerumq; ad coctionis finem, item Pumicem, & Conchylia inijcimus. Quæ Galenus nos docuit 1. per genera, c. 18. & 22. & Salem, & Nitrum, vt eodem lib. scribitur, tali tempore addere statuit.

Emplastrum Diachylon Magnum Mesue, & Exercitatio circa ipsum, quod laudatur à nobis.

℞. Lithargyri triti, & creti lib. j.
Olei Irini,
Chamæmelini,
Anethini ana vnc. viij.
Mucaginis Ficuum pinguium,
Vuarum passarum,
Sem. Lini,
Fænugræci,
Glutinis Alzanach, id est Visci,
vel

vel Gummi Hederæ,
Succi Ireos;
Scillæ,
Oesypi ana drach. xij. ß.
Terebinthinæ vnc. iij.
Resinæ Pini,
Ceræ flauæ ana vnc. ij. *Ingred. xv.*

Lithargyrum, & Olea diu, & multùm in mortario lapideo pistillo ferreo subigantur, & misceantur, post igni leni coque spatha semper agitando, donec liquetur Lithargyrum, & crassescat, exime igni, paulatim frigescat, postea his Succos (.i. Mucagines) per se parum coctos affunde, permisce, & recoque, & denique adde Ceram, Terebinthinam, & Resinam. Mes. Arbitror ego Oesipum cum his admiscendum esse. At si Gummi addenda veniunt, vt Bdellium, Ammoniacum, & Serapinum, Aceto priùs macerentur, sit vniuscuiusque vncia vna, vt Recentioribus placet, admisceatur ceteris parũ post Terebinthinam, & Ceram sedulò agitando. Non pauci Mes. tamen impulsore, vt in prima descriptione scribitur, post omnia vnciam vnam Ireos subtilissimè tritæ pro qualibet Cerati libra imponunt. *Error Seplasiar.* Quis Seplasiarum ante coctionem Li-

thar-

thargyrum, & Olea diu, & multùm in mortario exagitat? Alzanach cum illis, quibus fit Mucago, imponatur.

Emplastrum Diachylon Mesue.

℞. Mucaginis Sem. Fænugræci,
Sem. Lini,
Rad. Altheæ ana lib. j.
Lithargyri Plumbo, & Scoria purgati, & tenuissimè triti lib. j. ß.
Olei antiqui, clari lib. iij. *Ingred. v.*

Fiat Emplastrum, vt diximus, præstantius erit, si loco Olei communis Irinum, & Chamæmelinum acceperis. Mes. Expurgatur Lithargyrum Plumbo, & Scoria ablutione.

Lithargyrũ expurgatur plumbo, & Scoria ablutione.

Emplastrum Diachylon Paruum Mes.

℞. Litargyri vnc. vj.
Olei veteris, clari lib. j.
Mucaginis Psyllii vnc. iiij.
Mucag. Sem. Hyoscyami vnc. ß.
Mucag. Sem. Lini, & Radicis Maluæ ana vncias ij. *Ingred. vj.*

Con-

Conficiatur, vt eſt artis.

Emplaſtrum ex Dictamno, quod Sacrum dicunt. Gal. lib. 5. per genera, cap. 7. ex Hera, & modus parandi diligentiſsimus.

℞. Olei veteris heminas duas, ſ. vnc. xx.
Argenti ſpumæ, i. Lithargyri Argen. drach. c.
Æruginis Æris drach. viij.
Squamæ Æris drach. vj.
Colophoniæ liquidæ, i. Picis drach. l.
Mannæ, ſ. Thuris drach. xij.
Guttæ Ammoniaci drach. xvj.
Æris combuſti drach. viij.
Diphrygis, loco eius Marcheſitæ vſtæ,
Gentianæ ana drach. vj.
Aloes drach. viij.
Chalbani drach. xij.
Ariſtolochiæ,
Dictamni ana drach. xx.
Propolis, eius loco Ladani drach. viij.
Ceræ drach. xxv.
Aceti q. s. *Ingred. xvij.*

Argenti ſpumam, & Oleum in olla magna ſupra prunas incoquito, vt ferè

non

non inquinet;deinde cacabum deponens Æruginem indito, Squamamque & coquito ne inficiat; postea rursus auferens Resinam, & Ammoniacum inice cribrata, (Aceto prius dissoluta) mouens donec feruere desinat: Mox cum reposueris, paululumque dimiseris, tollito, atque Æs, Diphrygemque inspergito; rursus coquens quoad non inquinet; interdum enim iis iniectis remittitur: Postea deponens, Ceram addito, iterum coquito, vsque dum non polluat, quod celeriter accidit. Dein cum deposueris, Propolim immittes, ac reponens denuò paulisperque sines, cum depones, addes Aloen, Mannam, Dictamnum, Aristolochiam, & Gentianam, his abundè refrigeratis, singula læuissima insperges mouens, si non inficiat, tolles, sin minus leni igne coques. Hæc Gal. in parandis Medicamẽtis peritissimus. Quis enim potest maiori sedulitate hoc Emplastrum conficere? Hęc omnia etiam cecinit accuratè Damocrates. Propolis est Cerosa quædam natura, Mastiches more ductilis, quæ in Aluearium foribus teste Dioscoride inuenitur. Quis Seplasia hanc imponit? & quis hoc modo componit?

Propolis quid.

Error multorum ne dicã omnium.

Ceratum Isis, siue Epigoni ab Hera descriptum relatore Gale. lib. 5. per genera, c. 2. & ab ipso auctum.

℞. Ceræ drach. c.
Terebinthinæ dr. cc.
Squamæ Æris rubri,
Æruginis æris ana drach. viij.
Aristolochiæ rotundæ,
Dracunculi, .i. Serpentariæ,
Thuris,
Salis Ammoniaci,
Guttæ Ammoniaci,
Æris vsti ana drach. viij.
Aluminis combusti dr. vj.
Myrrhæ,
Aloes,
Chalbani ana dr. xij.
Olei veteris heminam j. scilic. vnc. vij. ß.
Aceti acris hemin. ij. s. vnc. xvj. ß.
Ingred. xvj.

Quæ liquari possunt, siccis in mortarium superinfundantur: Chalbanum Aceto cum aliis in pila elaborans, atque ita admiscens ea liquabilibus; deinde medicamentum manibus plurimum emollie-

bat attingens Acetum quam acerrimum, postea in vase æreo reponebat. Hæc Gal. Quis hanc mehodum seruat? nemo re-uera.

Error multorum.

Emplastrum Barbarum Magnum à Galeno descriptum 2. Med. per generac. 22.

℞. Picis lib. viij.
Ceræ lib. vj. & vnc. viij.
Resinæ Pini lib. v. & vnc. iiij.
Bituminis, vel Asphalti Officinarum lib. iiij.
Olei lib. j. & vnc. vj.
Argenti spumæ, i. e. Lithargyri Argentei dr. xxiiij.
Cerusæ,
Æruginis Æris ana dr. xxiiij.
Thuris lib. ß.
Aluminis Liquidi, eius loco Roch drach. xij.
Sciſſilis vnc. iiij.
Opoponacis,
Chalbani,
Squamæ Æris ana dr. xij.
Aloes,
Opii,

Myrrh

Myrrhæ ana drach. iiij.
Terebinthinæ vnc. xxiiij.
Succi Mandragoræ drach. vj.
Aceti heminas vj. ſ. lib. iiij. vnc. j. ß

Ingred. xx.

Quæ liquari poſſunt, ac diſſolui ſiccis in mortario Aceto acri læuigatis affundãtur. Hæc Gal. Prius vt Heras, incoquantur Cera, Pix, Bitumen, Reſina, & Oleum, donec liqueſcant: deinde reliqua ex Aceto trita admiſceantur, & his ablatis ab igne (ſ. cum cocta fuerint) & refrigeratis, parum Aceti inſtilletur. Vel Oleum, & Lithargyrum bulliant ad lentorem, quibus, vt eſt artis, cetera addantur.

Emplaſtrum Barbarum Paruum Galeni eodem loco.

℞. Picis,
Ceræ,
Reſinæ ana lib. j.
Reſinæ coctæ,
Bituminis, id eſt, Aſphalti ana lib. j.
Argenti ſpumæ, id eſt, Lithargyri Argenti dr. x.
Ceruſæ,

Æruginis Æris ana dr. v.
Opoponacis drac. iij.
Olei Hieme vnc. ix. Æstate vj.
Aceti q. s. *Ingred. xj*

Conficiatur modo supradicto. Hæc Galenus.

Vnguentum Magnum Ceraseos Mesue & parandi modus.

℞. Ammoniaci vnc. j.
Bdellii
Thuris masculi,
Aristolochiæ,
Sarcacollæ ana drach. v.
Myrrhæ,
Chalbani ana vnc. ß.
Lithargyri drach. xv.
Aloes,
Opoponacis ana dr. ij. ß.
Æruginis drach. iij.
Resinæ drach. xiiij,
Ceræ albæ vnc. ij.
Olei q. s. *Ingred. xiiij*

Lithargyros terenda, & cum Oleo co quenda, donec crassescat, tunc depon ab igne, & dum modice refrixerit miss

mmoniacum, & Bdellium Aceto disso-
a, redde igni, coque ad crassitiem,
c reliqua adde. Mes.

guentum Diapompholygos, seu de Thutia Nicolai Alexandrini.

Olei Rosati vnc. x.
Ceræ albæ vnc. v.
Cerusæ lotæ vnc. iiij.
Plumbi adusti, & loti,
Thutiæ præparatæ, loco Cadmiæ ana vnc. ij.
Thuris vnc. j.
Succi Solani vnc. viij. *Ingred. vij.*

iat Unguentum, vt est artis. Plum-
n ponatur in media coctione.

nguentum de Calce Ioannis à Vigo, quod à nobis laudatur.

Calcis nouies ablutæ, & læuigatæ vnc. ij.
Lithargyi Aurei,
Argentei ana vnc. iij.
Cerusæ vnc. ij.
Thutiæ drach. ij.

Seui Vitulini vnc. vj.
Olei Rosati Compl. lib. j. ß.
Omphacini lib. ß.
Succi Plantaginis vnc. iiij.
Succi Solani,
Lactucæ ana vnc. iiij.

Succi, Olea, & Seuum bulliant ad Succorum exhalationem, colentur, & adde

Ceræ albæ vnc. vj.
Unguenti Rosati vnc. iij. *Ingr. xiij.*

Iterum bulliant vnica ebullitione, ab igne remoueantur, & trita curiose addantur. Lithargyrum potest admisceri Succis, Oleis, & Seuo.

Ceratum de Plumbo.

℞. Plumbi adusti, & loti,
Lithargyri ana vnc. j.
Antimonii, s. Stibii à Græcis dicti,
Cerusæ ana vnc. ß.
Olei Rosati vnc. iiij.
Ceræ albæ,
Terebinthinæ ana vnc. j. *Ingr. vij.*

Fiat Ceratum, vt est artis.

Cera-

Ceratum de Sandice, seu Minio Ioannis à Vigo.

℞. Olei Rosati Completi lib. j. ß.
Olei Myrtini,
Unguenti Populeonis ana vnc. iiij.
Axungiæ Gallinæ vnc. ij.
Seui Vaccini,
Hircini ana lib. ß.
Axungiæ Porcinæ vnc. vij.
Lithargyri Argentei, & Aurei ana vnc. iij. ß.
Cerusæ vnc. iiij.
Terebinthinæ vnc. vj.
Minii vnc. iij.
Ceræ q. s. *Ingred. xiij.*

Olea bulliant cum Lithargyro ad crassitiem; addantur postea pinguia, atque Cera; remoueantur ab igne, & Cerusa, & Minium iis diligenter admisceantur.

Unguentum Emolliens, vel Mollitiuum, quod etiam Vnguentum de Mucagine dicitur, & Exercitatio.

℞. Mucaginis Altheæ,

Fænugræci,
Sem. Lini ana vnc. *vj.*
Lithargyri lib. *ij.*
Terebinthinæ,
Medullæ Vaccinæ ana vnc. *iij.*
Ceræ vnc. *vj.*
Olei Nucum lib. *ij* ß.
Ireos læuigati vnc. *iij.* *Ingr. ix.*

Oleum & Lithargyrum simul bulliant ad quemdam lentorem cum Medulla; postea addantur Mucagines, & semper leuiter permiscendo coquantur; deinde illis admisceantur Terebinthina & Cera, & tandem Ireos. Hoc euadet Ceratum, si Lithargyrum diu coquatur, aut maior copia Ceræ addatur.

Ceratum, quod Sparadrapum dicitur à Ioanne à Vigo lib. 5.

℞. Unguenti Populeonis lib. ß.
Unguenti Rosati vnc. *iij.*
Olei Rosati lib. *j.* ß.
Pinguedinis Vitulinæ vnc. *viij.*
Porcinæ vnc. *ij.* ß.
Succi Plantaginis
Solani ana vnc. *iij.*

Bulliant omnia ad Succorum consumptionem, colentur; colato adde

Cerusæ

Cerusæ lotæ vnc. *vj.*
Lithargyri Aurei, & Argentei an. vnc. *ij.*
Minii, id est, Sandicis,
Terræ Sigillatæ ana drach. x.

Iterum bulliant baculo agitando, donec nigrescat; quo facto addatur Ceræ quantitas sufficiens, vt sunt vnciæ quinque, &

Caphuræ læuigatæ dr. *j. Ing. xiiij.*

Fiat Sparadrapum, vel Caphura Oleo dissoluatur. Multi neglecta Autoris descriptione varie hoc parant, eius nomine tamen decoratum.

Aliud Sparadrapum Ioannis à Vigo, quod magis à nobis probatur.

℞. Olei Myrtini,
Rosati Omphacini ana vnc. *ij.*
Unguenti Populei vnc. *ij.* ß.
Pinguedinis Vitulinæ,
Vaccinæ ana lib. ß.
Axungiæ Porcinæ vnc. *ij.*
Foliorum Solani, id est, Solatri,
Plantaginis,
Matrissilvę, id est, Periclimeni ana M. *ij.*
Succi Granatorum vnc. *viij.*

Herbæ

Herbæ terantur, & aliis immiſceantur, & macerentur horis viginti quattuor; bulliant poſtea ad Succi exhalationem, colentur, & exprimantur; colato adde

Lithargyri Aurei,
Argentei ana vnc. *iiij*.
Minii drach. x.
Boli Armeni,
Terræ Sigillatæ an. drac. *vj*.
Terebinthinæ vnc. *iiij*.
Ceræ q. s.
Caphuræ drach. *ij*.

Miſce, & coque, vt eſt artis: & fiat Ceratum. Poſſumus primo addere Lithargyrum, deinde Minium, & tandem Caphuram aliqua Olei Roſati portione læuigatam, aut ſolitarie tritam.

Vnguentum Apoſtolicon, quod appellatur de Venere, deſcriptum ab Auicen. li. 5. Ser. 1. Tract. 40.

℞. Terebinthinæ,
Ceræ albæ,
Reſinæ ana drac. *xiiij*.
Opoponacis,
Floris Æris ana dra. *ij*.
Ammoniaci drac. *xiiij*.

Ariſto-

Aristolochiæ longæ,
Thuris masculi ana drach. vj.
Myrrhæ,
Chalbani ana drach. iiij.
Bdellii drach. vj.
Lithargyri drach. ix.
Olei communis lib. ij. Hieme vero lib. iij.
Aceti q. s. ad infundendum Gummi. *Ingred. xiiij.*

Fiat Unguentum. Aliqui præter rationē loco floris Æris, viride Æris imponunt, ignorātes quodnam discrimen inter hæc adinueniatur, aut arbitrātes idem esse viride cum flore, qua in re omnino decipiuntur, vt apud omnes Scriptores celebres videre licet. *Error aliquorum.*

Ceratum, quod dicitur à vulgo Gratia Dei.

℞. Ammoniaci vnc. ij. & drach. ij.
Chalbani,
Bdellii,
Opoponacis,
Myrrhæ,
Thuris,
Masticches,

Ariſtolochiæ longæ,
Viridis Æris ana vnc. j.
Magnetis,.i. Calamitæ,
Lap. Hemathytis ana drach. iiij.
Lithargyri,
Olei communis ana lib. j. ß.
Ceræ flauæ vnc. vj.
Terebinthinæ vnc. vj.
Olei Abietini drach. iiij. *Ingr. xvij.*

In puluerem redigantur arida; Gummi macerentur aceto; Lithargyrum, & Oleum ſimul bulliant ad craſſitiem Unguenti; Cera, Terebinthina, & Oleum Abietinum illis miſceantur, bulliant ſemper agitando; deinde addantur viride Æris, Ariſtolochia, & Lapides, vaſe prius ab igne ſublato: & tamdem Maſtiche, Myrrha, & Thus. Si liquidum deſideratur, minus bulliat Lithargyrum cum Oleo.

QUINTUM GENUS EST

De Illis quæ nec Ceram, nec Reſinam, nec ſimilia, ſed aut Mel, aut Sapam, aut Acetum, aut Lixiuium, aut Miuam, aut Decoctum, aut Oleum, vel Pingue, & Trita, inter quæ interdum & Metallica exiſtunt, in eorum ſtructura, & vnione admittunt.

Cap. VII.

Solent recẽtiores illa, quæ Ceram non recipiunt, nec simile aliquod, Emplastra vocare, maxime si Herbas decoctas, Radices, aut Cœpas contusas, & Farinas recipiant, aut alia Simplicia omnino detrita, & subtilem in puluerem deducta, quæ Vino, aut Lixiuio, aut Decocto, aut Axungia, & Oleo vtplurimum excipiuntur, etiamsi interdum, aut Succis, aliove Liquore.

Ut plurimum imponunt Tritorum vncias tres, aut quattuor pro singula Liquoris, aut Olei libra, quod non fuit à Mesue seruatum, qui fere semper neglecto Liquoris, aut Olei pondere, conficit illa quantitate sufficienti ad Trita excipienda: horum enim aliqua magnam humoris copiam absorbent, & aliqua minimam.

Sint Simplicia, quibus conficiuntur, si viridia diligenter cocta, & curiose contusa, & per cribrum rarum traiecta; si arida diligentissime trita, & subtili incerniculo transmissa, quæ omnia accurate misceantur Liquore, aut Oleo calido existente.

Empla-

Emplastrum de Baccis Lauri Mes.

℞. Thuris,
Masticheś,
Myrrhæ ana vnc. j.
Baccarum Lauri sine cortice vnc. ij.
Cyperi,
Costi ana vnc. ß. *Ingr. vij.*

Mellis colati quantum ad ea vnienda sufficit.

Emplastrum è Crusta Panis Montagnanæ.

℞. Masticheś,
Menthæ,
Spodii,
Coralli Rubri,
Santal. Rubr.
Alborum,
Flauorum ana drach. j.
Crustæ Panis torrefactæ, & albo Aceto per horæ dimidium maceratæ vnc. ij.
Olei Mastichini,
Olei de Cydonio ana vn. j *Ingr. xij.*

Farinæ Hordei q. s. vt vnc. j. ad illa excipienda sine igne.

Primo

Primò teratur in mortario crusta Panis, cui Olea admisceantur; deinde Pulueres, & Farina. Paretur, cum occasio postulabit; pauco enim tempore incontaminatum seruatur.

Emplastrum è Gallia Mesue, & parandi modus.

℞. Galliæ Moschatæ,
Schænuanthus ana dr. j. ß.
Ramich, .i. Trochisci Ramich,
Sumach,
Acaciæ,
Hypocistidos,
Ladani,
Gallarum non perforatarum,
Calami Aromatici in eius defectu
Angelicæ,
Rosarum,
Sem. earum,
Santal. Alborum,
Rubrorum,
Masticbes,
Xyloaloes,
Caryophyl.
Spicæ Nardi,
Thuris,
Costi, eius loco Zedoariæ,
Myrrhæ,

Cype-

Cyperi,
Absinthii ana drach. ij.
Terantur accurate omnia; deinde adde
Panis biscocti drach. iij.
Dactylos siccos num. xij.
Viginti quattuor horis macerentur in Succi
Foliorum Myrti,
Lauri,
Aquæ Rosarum,
Vini austeri an. vnc. j. ß. *Ingr. xxx.*

Hæc læuiga, & excipe Miuæ Aromatizatæ vnciis tribus, vel quattuor, & additis drach. septem Gummi Arabici coquantur igni lento ad Mellis crassitudinem, quibus in mortario diu permisce puluerem, donec totum fiat viscosum. Tempore vtendi suffitur ligno Aloes panno illitum. Mes. Hoc solum recipit Gummi inter hæc.

Emplastrum Sinapinum, vel Sinapismum, vt aliqui, Democriti à Mes. descriptum.

℞. Sinapi,
Ficuum pinguium ana partes æquales. *Ingred. iiij.*

Sinapi tritum Aceto diu miscēdum cum Ficuum illa quātitate Aqua calida viginti quattuor

quattuor horis maceratarum, & postea expressarum, vt nihil in eis humiditatis aquæ sit reliquum. Si valentius vis, duplum Sinapi misceto. Mes.

Vnguentum è Semperuiuo.

℞. Olei Violacei,
Rosacei ana vnc.ij.
Pinguedinis Anserini drach.xij.
Succi Semperuiui vnc.vj.
Croci script.ij. *Ingred.vj.*
Bulliant ad Succi exhalationem, remoueatur ab igne, & Crocus læuigatus addatur.

Vnguentum ex Cerusa Mesue.

℞. Cerusæ,
Merdasengi, i. Lithargyri ana vnc.vj.
Plumbi vsti,
Scoriæ Argenti ana drach. iiij.
Mastiches,
Thuris ana drach.ij.ß.
Olei Rosati,
Aceti albi ana quãtum sufficit. *Ing.viij.*

Tritis omnibus in mortario affunde

 paula-

paulatim nunc Oleum, nunc Acetum semper mouendo, donec pinguescant, v nutrita. Mes. Sint Metallica priùs diligen-

Error multorum.

ter abluta, quod à Seplasiariis non serua-tur.

Vnguentum è Cerusa Simplex appellatum, quod à nobis laudatur.

℞. Cerusæ lotæ vnc. iiij.
Olei Rosati q.s. *Ingred.*

Agitentur simul ad crassitiem. Vel e-tum portiones ęquales coquātur ad co-sistentiam Mellis. Aliqui hæc mortar-Plumbo exagitant, sæpe irrorantes Aq-Rosacea, aut Solani succo, quod nos iam laudamus, & sic conficiatur in fu-rum.

Vnguentum Aegyptiacum Magnum Mes.

℞. Floris Æris aur. v.
Mellis aur. xiiij.
Aceti acerrimi aur. vij. *Ingred.*

Co

Coque igni ad iustam crassitiem. Aliqui spernentes Mes. mandatum non florem Æris, sed Viride imponunt, quod aduersatur Scriptoris dictis. Est aureus drachma, & grana circiter sex. *Error multorum.*

Vnguentum Aegyptiacum Ioannis à Vigo, quod parandum venit.

℞. Floris Æris,
Aluminis,
Mellis,
Aceti ana vnc. ij.
Arsenici triti drach. ij.
Sublimati drach. j. *Ingred. vj.*

Bulliant omnia, quæ tritanda veniunt, ad Vnguenti crassitiem; remoueatur ab igne, & Sublimatum addatur; coctione enim euaporat, cum ex Hydrargyro conficiatur.

Vnguentum Tripharmacum Mes. à Gal. medic. ex Oxeleo, & Argenti spuma dictum, 1. de comp. per genera, c. 7. hoc est in vsu.

℞. Lithargyri triti, vt Alcohol par. j.

Olei,
Aceti ana quãtitatem idoneam. *Ing.ij.*

Lithargyros Oleo viciſſim, & Aceto paulatim affuſis in mortario mouetur ad iuſtam craſſitiem. At Gal. hæc: *Sit Olei, & Aceti duplo maior portio, quam Argenti ſpuma, & diu coquantur.*

Tripharmacum, quod ex ſpuma Argenti, & Aqua, & Oleo conficitur, vel Hydreleo, à Gal. eodem loco deſcriptum.

℞. Aquæ lib.ij.
Olei,
Lithargyri ana lib.j.ß. *Ingred.iij.*
Coquantur ex arte.

Tripharmacum Gal. quod ex Argenti ſpuma, & Vino, & Oleo paratur, quod Oeneleum dicitur.

℞. Lithargyri,
Vini albi, odori,
Olei clari ana partes æquales.
Ingred.iij.

Con

Conficiatur, vt primum.

Vnguentum vel Emplastrum ex Chalcitide confectum, quod Palmeum vocatur, à Galeno descriptum lib. 1. per genera, cap. 4. & modus parandi.

℞. Axungiæ vetustæ pōdo ij. ſcilicet lib. ij.
Olei veteris pon. iij. ſcilicet lib. iij.
Argenti ſpumæ, ſ. Lithargyri pon. iij. ſcil. lib. iij.
Chalcitidis, in eius def. Vitrioli virid. p. vnc. iiij.
Palmæ ligni q. s. vel eius loco Salicis.
Ingred. v.

Hæc ita coquere oportet. Adipis membranulæ omnes eximũtur, reliquum contunditur, vt liquari facilè poſſit; mox ad ignem liquefiat; deinde per colum deſtillatur, vt purum fiat; (Cuſtodite memoria Galeni diligentiam) *cum omnia ſimul in mortario coierint, conijciuntur in cacabum, ac rudicula palmæ mouentur, ſufficiet autem tibi ramus maiuſculus (virens tamen) vt ſolida ligni parte mouendo vtaris in modum ſpa-*

thæ, tenelli quoque ramusculi contusi cortice prius exuto Pharmacum iniiciendi, cum Medicamentum Cerato similem consistentiam habuerit; nam si à principio immittas, succus eorum, quem manere volumus, ex Decoctione consumetur. Insuper spathæ, qua medicamentum initio mouetur, pars in cacabo intincta, postquam inaruerit, vt proprium succum non amplius seruet, amputatam reijce, reliqua vtere, & sic seruato. Coquatur donec non inquinet. Gal. At Mes. Liquatis in vase stannato Oleo, & Axungia, Chalcitidim, & Lithargyrum paulatim inspergere iubet. Seplasiarij multi, vt sui est moris, loco Chalcitidis Vitriolum imponunt auaritia ducti; quapropter rarò Chirurgi in curatione vlcerum optatum finem assequuntur. Loco ramorum Palmæ probat Mes. in secũdo vnguento Cãnæ radices, at aliqui Salicis ramos. Pulchrius euadet, & perfectius si aquæ communis libræ duæ in principio addantur.

Error multorum.

Vnguentum Rosatum Mes. & parandi via.

℞. Axungiæ nouies aqua calente, & nouies frigida ablutæ,

Rosa-

Rosarum rubrarum recentium ana par. æquales.
Succi Rosarum recentium dimidiam.
Olei Amygdal. dulc. sextam partem.

Ingred. iiij.

Axungia cum Rosis teratur, quæ marcescant cum ea dies septem, funde igni lento, cola: rursus tantumdem Rosarum recentium cum ea tere, quæ dies etiam septem cum ea marcescant: funde vt prius, cola; tunc affunde Succum Rosarum, & Oleum Amygd. Coque igni lento ad Succi consumptionem, & repone. Quis est inter Seplasiarios, qui æqualem Rosarum portionem bis sumat? quis succi Rosarũ dimidiũ? nemo re vera, aut inter innumeros pauci, vt ipsi ore proprio pronunciant; & quis nouies aqua calida, & nouies frigida abluit Axungiam? *Omnium ferè Sepl. errores multi.*

Vnguentum Populeon Nicolai Salernitani.

℞. Gemmarum, seu Oculorum Populi arboris recentium lib. j. ß.
Axungiæ Porcinæ mundæ lib. iij.
Foliorum Papaueris agrestis, id est nigri,

Foliorum Mandragoræ,
Summitatum tenellarum Rubi,
Foliorum Hyoſcyami,ſ.Albi,
Solani,i.Solatri,
Lactucæ,
Violarum ana vnc.iij.
Foliorum Vmbilici Veneris,
Semperuiuæ Maioris, & Minoris,
Lappæ, id eſt Perſonatæ ana vnc.iij.
Vini Albi q.s. *Ingred.xiiij.*

Gemmę Populi contundantur, Axungiæ miſceantur, & vnà macerentur per ſeptem, aut quattuordecim dies; poſtea aliæ Herbæ contundantur, & illis immiſceantur; rarò enim euenit, vt cæterę Herbæ tempore Populi Oculorum ſint natæ; addatur omnibus idonea Vini quantitas, & ſimul bulliant ad humiditatis exhalationem, colentur, & exprimantur.

Vnguentum è Mercurio, ſeu Hydrargyro.

℞. Axungiæ Porcinæ vnc.viij.
Olei Chamæmel.vnc.ij.
Lithargyri vnc.iij.ß.

Salis albi vnc. j.
Theriacæ drach. vij.
Argenti viui vnc. iij.
Croci drach. j.
Vini albi, odori vnc. iij. *Ingred. viij.*

Axungia, Oleum, & Vinum igni incalescant, quibus Lithargyrum adde agitando semper, donec quoquomodo crassescant, postea Sal tritus, & Theriaca; ab igne remoueantur, & Crocus læuigatus inspergatur, & denique Argentum viuum saliua extinctum, aut Oleo Laurino: aliqui aliqua Terebinthinę portiuncula hoc agunt.

Vnguentum ad Vermes necandos, quod è Colocynthide appellatur.

℞. Succi Absinthii,
Fellis Taurini,
Succi Persicarię, id est Hydropiperis Dioscor. ana vnc. iij.
Colocynth. minutim incisæ vnc. j.
Aloes drach. iij.
Farinæ Lupinorum vnc. j.
Mellis lib. ß. *Ingred. vij.*

Mel,

Mel, Succi, Fel, & Colocynthidos, postquam macerata simul fuerint, bulliant ad consumptionem Succorum, coletur, & addantur pulueres: vel loco Mellis ponatur Oleum Absinthii, & aliquid Ceræ.

Vnguentum Vlcera sanans antiqua Mesue.

℞. Aloes,
Myrrhæ ana partes æquales.

Tere cum Succo Absinthii, Chelidonii, & Plantaginis ad Mellis consistentiam; administretur Coto, aut panno subtili. Mes. *Ingred. v.*

Empl. ex Fermento Mes. inuentore Democrito.

℞. Fermenti,
Mellis,
Olei,
Lactis Muliebris,
Vitelli Ouorum ana æquales portiones. *Ingred. v.*

Misce. His si Bdellium, & Hordei fari-

na miſcetur, ſpinas extrahit: idque valentiùs, ſi his diſſoluta Chalbani pars dimidia iungantur. Fermentum quo eſt vetuſtius, eo pręſtantius, & eſt multorum Emplaſtrorum, & aliorum inſignium remediorum materia. Meſ. hæc.

Emplaſtrum Andromachi Cauſticum Meſue relatore, quod Ruptorium dicunt.

℞. Aquæ ardentis, ſ. aquæ Saponis lib. iiij.
Sem. Orizæ, ſcilicet Riſi,
Frumenti excortic. ana vnc. vij.
Ingred. iij.

Macera in vaſe vitreo benè obſtructo, donec granis diſſolutis totum fiat mucoſum, ſerua; ſed ſingulis diebus ligneo baculo moue, & obtura vas exceptum Cera pertuſa, quod parti admotum tribus horis, aut eo plus cauterii vice vlcerat. Meſ.

De Plumbi lentore, ſeu ſucco à Galen. deſcripto lib. 9. Simpl. qui naturam Vnguenti tenet.

Præparato mortario, ſimulque piſtillo,

lo, vtrisque ex Plumbo, infunde quemlibet liquorem, itaque terito, vt & pistillus, & plumbeum mortarium succum quendam reddat: id quod ex vtroq. constabit, multò erit frigidius, quàm liquor ipse fuerat, licet autem & Vinum, & Aquam iniicere; at si etiam plus succum voles efficere refrigeratorium, Oleum sit Omphacinũ, aut Rosaceum: quod si celeriter multum succum Plumbi voles colligere, conare in Sole terere, aut quocumque certè modo aere calefacto: multò autem vtilissimum habebis Medicamentum, si adfuso refrigerantium succorum quopiam teras, ceu Semperuiui, Intybi, Lactucæ, Chondryles, Psilii, Omphacii, & Portulacæ. Porro si qua non facilè in succum soluantur, vt Portulaca, misceto aliorum succorum quempiam, veluti Omphacii, qui & ipse per se prædicto mortario inditus Medicamentum efficit refrigeratorium longè pulcherrimum. Galen. hæc.

Emplastrum Vesicatorium dictum.

℞. Fermenti optimi vnc. j.
Cantharid. præpar. drach. iij.
Sinapis drach ß.
Oxymelitis Scillini q.s. *Ingred. iiij.*

Misce,

Misce, vt est artis. Si vigorosius, addatur Euphorbij scripulum vnum.

Linimentum Simplex.

℞. Vng. de Solano,

Infrigid. Galeni,

De Cerusa Caphoratiana

lib. ß. *Ingred. iij.*

Agitentur tribus horis vase Plumbeo.

DE



DE SALIBVS CONFICIENDIS,

Et de illis, quæ Destillatione parantur,

COMMENTARIVM XII.



SALES, qui arte conficiuntur ex variis adustis Simplicibus, atque compositis Pharmacis non solùm apud Antiquos Medicos vsui venerunt; sed à Recẽtioribus, & potissimùm à Chymistis probãtur, & celebrantur: qui quidẽ arte illa admirabili nõ tantùm à Plantis, ac eius partib. Salem eliciunt; sed etiam à Lapidibus, & Metallicis: nec mirum, cum Oleum ab his ita aridis, atque duris extrahere audeant.

Sal facilimè ab omnibus educitur, si illa igni ardenti adurantur, & in cinerem redigantur, ex quo Lixiuium paretur, cuius pars syncerior, & purior reiectis crassioribus in vase aliquo vitreo, aut vitreato ponatur, & diplomate, aut super calidos cineres, exsiccetur, tale autem exsic-

catum

catum erit Sal. Cognouit hunc modum ipsum conficiendi Auicen. lib. 1. Fen. 1. Doct. iiij. ita: *Et est etiam, cum Sal fit artificialiter ex Cinere, & Alchali, & Calce, & ex alijs, cum in aqua coquuntur, & colantur; & coquitur illa aqua, donec in Salem coaguletur; aut ita dimittitur, donec per se coaguletur.*

Salem Alchali faciendi modus.

Paretur fouea, vel vas aliquod, cui trãsuersim imponantur ligna, vel craticula lignis fabrefacta contegatur, cui superponatur magna copia herbę Cali, quę admodum salsa sapore existit, ignis accendatur, stillabit ab ipsa liquor, qui in Salem concrescet.

Sal Theriacus à Galeno descriptus lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 19. & parandi Ratio.

℞. Viperas viuas non plus duobus diebus asseruatas, sed meliores, si eodem die, quo captæ fuerunt, nu. iiij.
Salis Ammoniaci, sin minus communis aeri parumper expositi modiũ

vnum

vnum Italicum, qui vt plurimum pendet lib.xx.
Gentianæ Cretensis,
Aristolochiæ rotundæ ana lib.j.ß.
Summitatum Centaurii minoris lib.ij.
Cardamomi,
Marrubii ana lib.ß.
Scordei Montani,
Chamedryos Creticæ,
Sem. Rutæ domesticæ ana lib.j.
Mellis Attici q.s. ad commiscendum omnia.

Harum rerum mediam portionem in ollam nouam ex argilla confectam coniice: postea Viperas quattuor viuas superimmitte, & cum eis Scillas quinque recentes, & nuper euulsas, atque in frusta concisas: inde reliquum aliarum rerum dimidium: postremò lutum ollæ diligenter inducito, vbi priùs operculum imposueris: quod foraminibus quattuor aperies, vt per ea vapor egrediens assationis mensuram significet: Nam fumus, qui primùm exibit, obscurus admodum, & valdè turbidus denotabit ignem ad Viperas peruenisse; quo tempore diligenter aduertas moneo, vt respirando aerem non attrahas hoc fumo infectum, qui à Viperis exhalat. His peractis, cum fumus desi-

desistet, & tenuem quandam flammam è foraminibus ascendere videbis, tunc optime tosta cuncta iudicato: itaque transfer ollam ab igne in locum, vbi per integrum diem, & noctem frigescat: inde vase adaperto combustas res exime, quibus contusis atque cribratis hæc adiunge

Sem. Rutæ siluestris,
Hyssopi Creticæ ana vnc. ix.
Fœniculi siluestris,
Nardi Gallicæ,
Sthachyos Scythicæ, eius loco Marrubii, vel Melissæ ana vnc. vj.
Petroselini M.cedonici vnc. iiij.
Racemorum Amomi vnc. iij.
Capitulorum Origani Heracleotici vnc. ix.
Sem. Hormini torrefacti, à nonnullis Sclareæ vnc. iij.
Summitatum Thymi Attici vnc. ix.
Fol. Malabathri Indi, eius loco Macis vnc. iiij.
Carnium Baccarum Juniperi lib. ij.
Sem. Coriandri domestici lib. ß.
Piperis Albi, & Nigri ana lib. ij.
Radicum Silphii, id est Lasērpitii vnc. x.
Zingiberis non perforati lib. ij.

Radicum Satyri lib. ß.
Pulegii Montani lib. ß.
Sem. Seseleos Massiliensis,
Sem. Tordili Montani, eius loco
Sileris Montani,
Mentæ ana vnc. vj.
Casiæ optimæ vnc. ij.
Cinnamomi vnc. j. *Ing. xxxvj.*

Hæc vbi semel contudi, & excussi, denuo & contundere, & excutere molior, quo sępenumero cribrata in tenuissimum puluerem redigantur: quem in vitreis vasis positum non statim, sed à quadragesimo die vtendum trado. Ceterum ipse hunc Salem etiam non iniustis Viperis cōficio, verum pastillos, ex eis quorum compositionem in Theriaca docui, reliquis quæ cum Viperis vtuntur, admisceo, ipsosque comburo, vt quam in se habent amaritudinem, incendio deponant. Tantam vero Pastillorum mensuram impono, quãtam habere quatuor Viperas conijcio, ac re vera Sal quam optimus euadit, vt qui propter vstionem, neque cinerulentum quippiam gustatus præ se ferat, neque conspectus nigredinem, verum & iucundissimus accipientibus euadat, & virtutem, ad quæ dixi ipsum proprie valere,

ere, præstantiorem euadat. Hæc omnia Gal. Non idem est rerum aridarum pondus, & si Modius vna & eadem mensura existat, nec Salis; Aliquis enim grauior procul omni dubio aliquo alio exstat, & adeo difficile ab omnibus reputatur tale præfigere pondus. Decreuit Aet. libr. 13. capit. de Sale Theriaco Modium viginti esse libras; ad mentem Pauli autem Ægin. vbi de Aridis, esse octo Chenices, quæ erant libræ decem; nos autem Aetii sententiam sequi statuimus. *Modii pondus varius.*

De illis, quæ Destillatoria arte parantur.

Varii procul omni dubio liquores, & mirum in modum præstantes, atque efficaces destillatione illa parantur, qua vi caloris partes illorum, quæ in vitreo vase continentur, synceriores, & vt ita dicam, a rudi materia seiunctæ in sublime efferuntur, quæ destillationis species à Chymistis per ascensum appellatur. Id quod emanat, interdum Aqua, & interdum Oleum existit, quæ aqua non raro inchoante destillatione lactea conspicitur, deinde flauescens, & tandem rubra; vel ru-

bra quandoque,& postea flaua apparet, & occurrit intuentibus : quæ eueniunt & pro diuersitate eorum, quæ destillantur, & pro caloris intensione, aut pro longitudine temporis, quo talis celebratur actio; primo enim illud, quod magis aqueum foris elabitur, & tandem quod terreum, atque crassius, maxime si intendatur caloris gradus. Eliciuntur aquæ ceterique liquores ab illis, quæ cucurbita vitrea detinentur semper calore, qui aliquando aquea substantia residet, vt cum destillantur aliqua Balneo Mariæ; interdum subiecto sicco, atque arido, vt cum cineribus hoc agitur, & non raro vi solum ipsius caloris nullo corpore intermedio. Primo modo placide Aquæ educuntur ab Herbis contusis, vel Floribus, duobus diebus, aut saltem vno proprio humido maceratis, sic & à Decoctis, & aliis aquosis. Vigorose secundo modo eliciuntur à Seminibus, & radicibus, & Baccis aliquo humore irroratis: Violenter tertio modo extrahuntur Olea à Gummi, quod etiam assequitur feruentissima arena, aut ferri limatura candenti; difficile enim Oleaginosa portio, quæ in Gummi continetur, ad sublima se extollit vi caloris liquata, & per capitelli rostrum foras elabitur; sed de

his

his incidenter satis, & crassa Minerua sit dictum. Cognouit hæc destillationis genera Mes. immo multa Olea, vt de Vitellis Ouorum hac arte confecit, cuius verba: *Ipsi Vitelli corpulento vasi imponantur, Oleumque in Capitellum ignis violentia tollatur.* Sic de Frumento; multaque alia hoc modo paratur scilicet sublimationis vase.

Aqua Theriacalis.

℞. Theriacæ vnc. iiij.
Mithridatii vnc. ij.
Confectionis de Hyacintho vnc. j.
Dictamni albi,
Rad. Tormentillæ ana vnc. ij. ß.
Rad. Angelicæ,
 Scurzuneræ, Tragopogani species, vt aliqui,
 Valerianæ,
 Gentianæ;
 Aristolochiæ rotundæ,
 Pentaphylli,
 Vincetoxici ana vnc. ij. ß.
Fol. Melissæ,
 Calaminthes, eius loco Mentastri,
 Caryophyllatæ,

Ocimi, scilicet Basilic.
Rutæ Caprariæ, siue Galagæ,
Scordei,
Cardui Sancti ana vnc. j. ß.
Corticum Citri vnc. j.
Croci,
Coralliirubri præpar.
Terræ Lemniæ,
Cornu Cerui præpar. ana vnc. j. ß.
Flor. Citri,
Violarum,
Buglossi,
Borraginis,
Rosarum rub. an. pug. j.
Sem. Oxalydis,
Thlaspi ana vnc. ij.
Vini albi, & odori lib. x.
Aquæ Rutæ Caprariæ,
Cardui Sancti ana lib. v.

Trituranda terantur crassiuscule, & omnia curiose confundantur simul, & vase vitreo, aut vitreato diebus viginti insolentur, postea Balneo Mariæ destillentur, cui aquæ adde
Specierum Diambræ,
Lætificantis,
Diamoschi,
De Gemmis ana script. j.
Xiloaloes,

Caryophyllorum,
Santalorum flauorum ana drach. j.
Ingred. xlj.

Crassum in puluerem arida minuantur, sindoneque illigata, seu nodulo filo appenso dictum in liquorem immergantur.

Alia aqua Theriacæ.

℞. Theriacæ lib. ß.
Croci vnc. ij.
Corticum flauarum Citri vn. ix.
Succi Rutæ,
Saluiæ,
Betonicæ,
Vini albi vigorosi ana lib. *Ingr. vij.*

Macerentur quatuor diebus, & destillentur.

Stillatitium Cardiacum Febribus aduersans Malignis.

℞. Foliorum tenellorum Citri recentium M. j.
Fol. Boraginis,
Pimpinellæ,
Scordei ana M. j.
Flor. Boraginis,

Buglossi,
Citri an. vnc. iij.
Sem. Oxalidis,
Rutæ Caprariæ ana vnc. j. ß.
Fructus Citri integros, odoros, & recentes num. iiij.
Ligni Santalorum Rubeorum,
Flauorum,
Alborum ana vnc j. script. j.
Rad. Vincetoxici,
Scurzuneræ,
Tormentillæ,
Pentaphylli
Caryophyllatæ ana vnc. j.
Succi Rutæ Caprariæ,
Citri acidi ana lib. vj.

Folia disrumpantur, Semina crassiuscule terantur, Ligna læuigentur, Fructus triturentur, quilibet quorum non excedat libras duas, Radices incidantur, & contundantur: omnia infundantur per diem, & noctem in dictis Succis calidis; deinde destillentur, cui stillatitio adde

Aquæ è Floribus Citri,
Scurzuneræ,
Rosaceæ ana lib. j.
Margaritarum præpar. vnc. ij. ß.

Lapi-

Lapidis Bezaar drach. iij.
Terræ Sigillatæ vnc. j.
Auri purissimi bracteolas nu. xxx.

Ingred. xxviij.

Margaritæ, Lapis Bezaar, & Terra Sigillata diligenter læuigentur, & folia Auri dilacerentur subtilissime, quæ omnia saltem per decem horas in quinque vnciis succi Citri calidi optime depurati macerentur, sæpe ea exagitando. Vigorosius erit si in dicto Stillatitio virga Auri purissimi candens vicies extinguatur. Dosis sit vncia vna longe quattuor horis à cibo desumpta.

Aqua, seu Stillatitium Cinnamomi.

℞. Cinnamomi electi lib. ij.
Aquæ, vel Vini Aromatici lib. xij.

Cinnamomum crassiuscule contundatur, & infundatur in Vino feruenti per diem, & duplici vase destilletur ad dimidium; reliquum enim fere inutile erit. Suauior Aqua erit, si Moschi grana x. addantur, & Sacchari vnciæ duæ.

Hoc modo paratur Aqua, seu Stillatitium.

Caryo-

Caryophyllorum,
Ligni Aloes,
Macis,
Nucis Myristicæ,
Angelicæ,
Galangæ,
Zedoariæ,
Et similium.

Elixir Vitæ suauißimum.

℞. Fol. Auranciorum tenellulorum M. ij.
Melissæ,
Menthæ,
Caryophyllatæ ana M. j.
Santalorum flauorum vnc. ij.
Florum Citri lib. j. ß.
Rorismarini lib. ß.
Cinnamomi lib. j.
Sacchari albi lib. v.
Xiloaloes drach. iij.
Vini Cretici dulcis, & moschati libr. xv.
Ambræ,
Moschi ana drac. ß. *Ingred. xiij.*

Folia, & Flores frangantur; Cinnamomum, & Xiloaloes crassiuscule terantur, omnia hæc simul in botia decem diebus maceren-

macerentur Vino prima die calido; postea destillentur, destillato adde Saccharum diligenter tritum, cum cuius aliqua portione Moschus & Ambra læuigentur. In his semper vasa stannata, plumbea, & ærea fugienda.

Elixir Vigorosius.

℞. Nucis Myristicæ, f. Moschatæ,
Macis,
Cinnamomi ana dr. iij.
Caryophyl.
Cubebæ,
Cardamomi,
Gentianæ,
Zingiberis,
Angelicæ,
Zedoariæ,
Xiloaloes, id est, Ligni Aloes,
Piperis albi, & nigri ana dr. iij.
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Corticum Citri,
Aurancii ana drach. ij.
Rosarum Rubearum,
Saluiæ,
Rorismarini,
Calaminthes,

Pule-

Pulegii,
Menthæ,
Maioranæ,
Betonicæ florum,
Spicæ Nardi,
Calami Aromatici ana drach. j. ß.
Moschi drach. j.
Mellis lib. j.
Sacchari albi lib. iiij.
Vini Cretici vigorosi lib. viij.

Ingred. xxx.

Fiat vt primum.

Balsamum Mes. Petro Aponensi attributum.

℞. Myrrhæ elect.
Aloes Hepat.
Spicæ Nardi,
Sang. Draconis,
Thuris,
Mumiæ,
Opoponacis,
Bdellij.
Ammoniaci,
Serapini,
Carpobalsami, eius loco Amomi, vel Juniperi Baccarum,
Croci,

Masti-

Mastiches,
Gummi Arabi,
Styracis liq. ana drach. ij.
Ladani drach. ij. ß.
Moschi dr. ß.
Terebinthinæ ad pondus omnium.
Ingred. xviij.

Triturandа terantur, simul misceantur, & destillentur cinerum calore. Aqua, quæ ab illis egredietur, aqua Balsami dicitur, sicuti & Oleum, quod postremo aucto calore emanat, Balsamũ vocatur.

Aliud.

℞. Terebinthinæ vnc. iiij.
Thuris,
Mumiæ vnc. ß.
Masticcs,
Myrrhæ ana drach. iij.
Caryophyl.
Cinnamomi,
Macis,
Styracis ana drach. ij. *Ingred. viij.*
Destillentur, vt est artis.

Aliud.

℞. Terebinthinæ Cypriæ lib. ß.

Olei

Olei Nucis Moschatæ vnc. iij.
Olei Veteris vnc. v.
Styracis,
Chalbani,
Euphorbii,
Baccarum Juniperi,
Ligni Aloes,
Ligni Indi,
Calami Aromatici,
Iuæ Arreticæ ana drach. ij.
Benzoini, scilicet Laserpitii Diosc. vnc. ij.
Vini Cretici q. s. ad irroranda trita, & dissoluenda Gummi.

Ingred. xiij.

Arida comminuantur, Gummi Vino dissoluantur, Styrax, Terebinthina simul misceantur, & cineribus calidis destillentur: Et Aqua ab Oleo separetur.

Oleum ex Fœniculis, aut Anisis, aut Cumino.

℞. Anisorum, aut Fœniculorum libr. iiij.
Aquæ fontanæ lib. xxx. *Ingred. ij.*

Tribus diebus, vel saltem duobus detrita Semina aqua calida macerentur; deinde aut Balneo Mariæ, aut cineribus ca-

lidis destillentur: quod quidem erit vigorosius, si potenti Vino, atque Aromatico irrorentur Semina.

Aliqua describuntur, quæ propriis locis fuerunt prætermissa.

Diacydonium Mesue.

℞. Succi Cydoniorum,
Mellis despumati ana lib. iij.
Aceti boni, & puri lib. ij.

Coque igni lento semper despumando ad Mellis crassitudinem, tunc insperge
Piperis longi,
Zingiberis,
Cinnamomi ana vnc. *j.*
Caryophyl.
Ligni Aloes ana vnc. ß.
Moschi script. *j.* *Ingred. ix.*

Fit interdum etiam cum aliis Aromatibus, interdum sine Aromatibus: fit etiam cum Saccharo. Mesue.

Diacydonium Gal. lib. 6. de sanit. tuenda descriptum cap. 15.

℞. Succi Cydoniorum, quæ dulciora, maioraque, & minus acerba sint, Sext.

Rom. *ij*. scil. vnc. xlvj ß. drach. j. ß. script. ij.
Mellis optimi Sext. ij. scil. vnc. lj. dr. vj. gr. x.
Aceti Sext j. ß. scilicet vnc. xxviij. drach. ß.
Hæc cum super prunas modice coxeris, & spumam detraxeris, immittes
Zingiberis vnc. iij.
Piperis albi vnc. ij. *Ingred. v.*

Deinde rursus igni recoques, donec Mellis crassitudo existat. At quibus frigiditas temperiem vitiat; iis Zingiberis quattuor, Piperis tres, aut duas, & semis vncias iniicias, dandum tribus horis, aut duabus ante cibum. Hæc Gal.

Pilulæ contra Pestem Rhasis, quæ Communes, & de Tribus dicuntur.

℞. Aloes drach. iiij.
Myrrhæ,
Croci ana drach. ij.
Vino Aromatico excipiantur. *Ingr. iij.*

Pomum Odoratum Frigidum.

℞. Rosarum drach. j.
Santalorum Citrin.

Albo-

Alborum,
Rubeorum,
Angelicæ tenuis ana drach.j.
Caphuræ gr.xij.
Ceræ aqua Roſacea ablutę q.s. *Ing.vij.*
Vniantur piſtillo calido in mortario, vigoroſè terendo.

Aliud Calidum ex Ladano.

℞. Ligni Aloes,
Caryophyl. ana drach.ij.
Macis,
Cinnamomi ana drach.ij.ß.
Moſchi ſcript.j.
Ladani puri,
Styracis electi, vel Benzoini ana drach.iiij.
Ceræ q.s. *Ingred.ix.*
Fiat, vt ſupra, addendo aliquid vini Aromatici.

Syrupus de Althea Fernelij.

℞. Radicum Altheæ vnc.ij.
Cicerum rubrorum vnc.j.
Rad. Graminis,
Aſparagi,

Glycyrrhizæ,
Passularum mundat. ana vnc. ß.
Comatum Altheæ,
Maluæ ana M.j.
Helsinæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianti vtriusque ana M.j,
Sem. quattuor frigid. maiorum ana drach.iij.
Aquæ lib.vj.
Sacchari lib.iij.ß. *Ingred.xviij.*

Fiat Syrupus, vt est artis; quattuor semina frigida terantur, & cum aliqua portiuncula Decocti fiat emulsio, quæ Syrupo, dum decoquitur, paulatim addatur.

Mel Vuarum Passarum.

℞. Vuarum Passarum pinguium Damascenarum lib.j.
Aquæ communis lib.iij.ß. *Ingred.ij.*

Vuæ Passæ acinis priuentur, & cum aqua bulliant priùs per diem maceratæ ad eius lentorem, colentur, & exprimantur, & iterũ bulliãt ad Mellis compagem: possumus etiã expresso addere Mellis optimi vncias duas, vel tres.

Vnguen

Vnguentum Maluinum.

℞. Decocti foliorum Maluæ, ter mutatorum lib. j.
Vnguenti Rosati Mes. lib. j.
Ceræ albæ vnc. iij. *Ingred. iij.*

Bulliant omnia simul ad Decocti exhalationem. Efficacius erit, si decocto radicum Maluæ, & Hordei triti paretur, aut eius succo.

Hæc sunt Medicamenta, quæ Collegium hoc præstantissimum apud Pharmacopæos à Medicis imperantibus adinueniri cupit, si non omnia, saltem eorum maiorem partem: nonnulla enim describuntur hac in Pharmacopæa ab vsu quotidiano intermissa, quæ, cum occasio postulabit, possunt in dies, vel in horas ab ipsis confici, atque parari.

De vasis atque loco, quibus necessarium est omnia Pharmaca seruari, atque locari, ne in futurum contaminentur putredine.

At quoniā satis non est pręscripta iam Methodo omnia Medicamenta confecisse, atque parasse: nec perfecta, ac vigorosa ad ea componenda selegisse Simplicia: quod maximi re vera est momenti; cum vnum illorum imperfectum totam Antidotum mancam, & contaminatam reddat, si rationi est acquiescendum, dictisq. Gal. lib. 1. de Antid. & 1. ad Pisonem c. 14. Sed toto etiam pectore incumbendum est, vt in tempus futurum, quo ad fieri potest, incontaminata seruentur: hoc autem facilè assequuntur Pharmacopæi, (loquor pro Medicaminis conditione) si vase conuenienti, & loco idoneo locentur; & præterea si interdum diligenti oculo intueantur, vt si quid detrimenti passa sint, ab ipso vindicentur.

Vasa nullam, si possibile est, retineant qualitatem, quæ aduersetur Antidoti facultatibus, quod respiciens Damocrates hæc pronunciauit, referente Galeno 1. de

Antid. cap. 16. varia proponens vasorum genera, quæ:

Repone, & serua vasculis non ligneis,
Sed vitreis, argenteisque, & corneis,
Et stanneis, & testaceis, densis tamen.

Et Gal. vbi de Theriaca ad Pāphil. hæc: *Vase argēteo, aut stāneo repone.* & l. 1. de Antid. cap. 8. sic vbi de Viperarū Trochiscis: *Vase stāneo, aut vitreo, aut etiā aureo; vitro siquidē, nec auro nihil fraudulēter admisceri potest: stannū autem plumbo adulteratur, quod scilicet plumbum vitare conueniet non solum in hac Antidoto, sed etiam quibusdam alijs Medicinis: quemadmodum & argentum, si purum non fuerit; vasa namque ex eo fabricata rubiginem contrahunt.* Hæc ille. Vitrea igitur, vel vitreata, aut argentea, vel stānea, sed plumbo quo ad fieri potest priuata, vasa, quibus seruandæ sunt Confectiones, eligantur. Quæ ad summum non repleantur, sed spatium aliquod relinquēdum in nonnullis Compositionibus liquidis, vel humidis, quo respirare possint, immo frequenter operculum dimouere conuenit, vt Antidotus magis difflari possit, quæ nobis reliquit scripta Gal. ad Pis. c. 14. Vapores n. foras egrediūtur, & sedatur ebullitio, vt Haly lib. 10. pra. interdum vtitur Gal. vasis æreis ad ser-

uanda Medicamenta oculorum, vt 4. de comp. per loca.

Quo ad locum, *Vitabis cellas ſubterraneas, nec vllum Medicamentum in ipſas repones, præſertim verò in humidis, in quibus recondita celeriter contaminata redduntur,* vt legitur 1. de Antid. c. 2.

Error multorum. At non pauci Seplaſiarii ſubterraneas cellas exoptant, vt in ipſis Caſſiam fiſtulam ſeruare poſſint iam exſiccatam; ab humiditate enim ita imbuitur, vt non ſolùm ſiccitatem illam excedentem amittat, ſed diſrupta in morbidum ſuccum tranſacta foris erumpat: vnde tormina alui, ventriculi angores, & anxietates excitat maxima cum infamia Medicorum, & infirmorum detrimento.

Hæc omnia à nobis narrata circa Medicamenta parandi rationem firmiſſimā fidem legentibus facient, ac demonſtrabunt; nec Recētiores Medicos, nec Pharmacopæos aliquid noui adinueniſſe, ſed ſingula ab Antiquis Medicis illis, de quib. mentionem fecimus, ſurripuiſſe; etiam ſi multi eorum circa Medicamētorum Deſcriptiones Antiquorum Præcepta, Obſeruationes, Animaduerſiones, Caſtigationes, & Lectiones poſteritati reliquerunt, in quibus, ſi verum dicere licet, aut

nihil

nihil eorum, quæ ad rationem præparandi Pharmaca attinent, reperitur, aut illud solùm, quod iam dictum fuit ab inuentore Medicamenti, inuenitur. Sileant igitur non pauci Seplasiarii nostræ ætatis, pertinaci ignorantia ducti, dum Galenum, Mes. ceterosque seniores Medicos petulanti lingua corrigere audent: qui non ignorant, si mente constant, homines indociles, imperitos, pertinaces, maledicos, & omni litterarum studio priuatos ab ingenuis viris semper irrisos, & contemptos fuisse: quod idem affirmarent & Gal. & Mes. doctissimi, & huius artis peritissimi viri, si nostro tempore hac aura vitali fruerentur. Legant isti, legant dico, illorum libros, si hanc veritatem cognoscere cupiunt, dummodo illis aliqua sit aptitudo eorum scripta intelligendi; sin minus humili vultu, atque demisso iam dictis acquiescant.

FINIS.

INDEX RERUM OMNIUM.

A

Cad-

C

Colly-

D

Dia-

Quo

Quæ

Non

Q.

R.

Oxali-

Fuma-

Quin-



